


350/-



Adjicitur.

Ejusdem auctoris, Historia Vin=
=landiae antiquae, seu Partis
Americae Septentrionalis.

HISTORIA
VINLANDIÆ ANTIQVÆ,

ſeu

Partis Americæ Septentrionalis,

ubi


Nominis ratio recenſetur, ſitus terræ ex dierum brumalium ſpatio expenditur, ſoli fertilitas & incolarum barbaries, peregrinorum temporarius incolatus & geſta, vicinarum terrarum nomina & facies.

ex

Antiqvitatibus Islandicis in lucem producta exponuntur

per

THORMODUM TORFÆUM
Rerum Norvegicarum Hiſtoriographum Regium.



HAVNIÆ,
apud Hieron: Chriſt: Paulli Reg: Univerſit: Bibliopolam, ANNO 1715.

APPROBATIO.

SEculi noſtri genius hic eſt: Recentia extollimus, Veterum incurioſi. Hinc non tam veniâ, qvàm publicô applauſu digni ſunt, qvi cum Nobiliſſimo Authore Hiſtoriam non minus, qvàm Geographiam Antiqvam, à tenebris vindicatam, luci reddunt, Hafn. d. 2 Sept: Aõ. 1705.

P. VINDINGIUS.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

HEROI,

DN. FRIDERICO DE GABEL,

DN. DE BREGENTUED,

EQVITI AURATO

ORDINIS DANEBROGICI,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

DAN. ET NORVEG.

CONSILIARIO INTIMO,

STATUS ET JUSTITIÆ,

VICE-PROREGI NORVEGIÆ,

PRÆEECTURÆ AGGERSHUSIENSIS ET FERRöENSIS

GUBERNATORI REGIO,

IL-

ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE,

Annus, qvi hunc proximè præceſſit, ſeculi hujus qvartus, inprimis memorabilis, æternis faſtis jam ubiqve conſecratus eſt, cùm Auguſtiſſimus horum regnorum Monarcha, Rexqve hæreditarius, omnium noſtrûm Dominus Clementis-

tiſſimus FRIDERICUS QVARTUS inter Illuſtriſſimos Nobiliſſimosqve magnos Miniſtros, Tuâ qvoqve Excellentiâ, Illuſtriſſime Vice-Prorex, comitatus, a primis regni hujus, qvi ab ortu extenduntur, limitibus, Nidaroſiam usqve, Magni Patris glorioſiſſimæ memoriæ Chriſtiani Qvinti exemplô perluſtrare Clementiſſimè dignatus, totius populi, omniumqve ordinum effuſiſſimis ſtudiis, feſtis acclamationibus, & pro perpetua Majeſtatis

ſuæ incolumitate, floreqve perenni, erectiſſimis votis, ardentiſſimis precibus, ſuppliciisqve promiſcuè exceptus eſt. Certè partes iduum menſis Julii ſexti & qvinti, intercedensqve noctis in jubar converſa umbra, præter alia temporum momenta, tunc mihi auſpicatiſſimè illuxerunt, cùm in regio illo tranſitu obſcuram hanc & ignobilem villam ſacræ Majeſtatis ſuæ reqviei Auguſtus noſter deligi paſſus eſt, ubi mitiſſimos placidis-

dissimosqve paternos avitosqve vultus qvasi redivivos, in Serenissima illa facie digna cum reverentia contemplari, exqve longo intervallo longè perspicacius, qvàm in qvovis nitido colore coruscante speculo, recolligere licuit. Cùm autem eodem tempore Excellentia Tua de antiqva Gronlandia investiganda, commerciisqve in freto Davisio instituendis, simul qvæstionem moveret, ad priorem tantùm partem respondi, vi-

amqve totiens tritam, ut ſcopo collineando minus idoneam, improbavi: aptiorem monſtrare juſſus, verendi regii Numinis præſentiâ præpeditus ſententiam ſuſpendi. Manè verò poſterioris diei Illuſtriſſ: T: Excell: verbis, ut in tanta celeritate pauciſſimis, expoſui: qvam tantum aberat, ut reprehenderet, ut etiam coràm proponere, mox etiam commendare, dignata ſit, qvam non ita pridem per epiſtolam Excell: Tuæ fu-

fusius explicavi; Præfationi denique antiquæ Gronlandiæ inserui. Posteriorem autem partem de freto Davisio navibus lustrando exempla domestica pluribus obvia externaque satis enodant: constat enim illud jam dudum navigationibus ex Hollandia, Arngrimo quoque teste, etiam ex Anglia freqventari. Jam verò præsentem de Vinlandia tractatum, obseqvii erga Excell: Tuam humillimi, ingenuæqve venerationis

affectûs teſtem interpretemqve indubitatum, demiſſè offero. Cùm enim Tuæ: Excell: totius Norvegiæ inſpectio ſupremaqve adminiſtratio, qvam & ſummâ curâ feliciſſimè obis, commiſſa ſit, curioſius rimari ſoles inter alia, qvæ ad ejus emolumentum pertinent, qvamcunqve gloriam gens hæc præteritis ſeculis ſibi adſtruxerit: qvam etiamſi florentisſima noſtri orbis regna affatim teſtentur, ad cumulum tamen acce-

dit

dit laus apertarum per cives ſuos colonicos primitus Novi qvoqve partium, inter qvas hæc ipſa haud poſtrema. Fateor qvidem admodum jejunam iſtius notitiam ad nos perveniſſe, nam cùm hic ferarum ingens freqventia, exuviarumqve merces memorentur, ſpecies tamen nulla, ut, nec avium vel piſcium varietas, arborum paucisſima, herbarum genera nulla, aut alia ad terrarum deſcriptionem pertinentia notentur. Sed cum

cùm in ejus, qvi qvalemcunqve hiſtoriam ſcribit, poteſtate non ſit, materiam ſibi facundiorem deligere, qvàm acceperit, Ipſa me Tua Excell: hoc in defectu excuſabit. Eam enim novi Excellentis animi Tui moderationem, ut, ſi etiam hic aliqvanto inconſideratius peccatum eſſet, benignam tamen imprudentiæ veniam indulgeret. Cùm autem illud erratum meum non ſit, eâdem, qvam hactenus variis indiciis expertus

tus ſum, benignitatis Tuæ fiduciâ hoc, qvicqvid ſit ſcripti, meqve ipſum unà, Excell: Tuæ patrocinio humillimè ſubjicio, utriqve gratiam, favorem, propenſiorem voluntatem, protectionemqve imploro. Tuæ verò Excell: ut ſingula prospera longè uberiore & cœlo digna menſura ipſe cœli Arbiter affatim largiatur, ſupplici mente, manu, calamo, devotè exopto,

ILLUST: atq; EXCELL: NOM: T.

Cultor humillimus

T. TORFÆUS,

Præ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM

A condito reparatoqve orbe, si sacram historiam exceperis, ad præsens usqve seculum, nescio qvid majoris momenti literis proditum sit, qvam novi orbis inventio: cujus gloriam, licet sint, qvi priscis Phænicibus & ab his prognatis Carthaginensibus adscripserint, firmioribus tamen testimoniis destituuntur, qvam ut id omnibus usqveqvaqve persvadeant; qvæ si vel maxime admittantur, non tamen minorem laudem consecuti sunt, qvi eam tot inde seculis longâ oblivione sepultam perpetuæ luci restituerunt. Ingentem istam adoream, vir cæteroqvin satis nunqvam laudatus, Christophorus Columbus Genuensis, qvi Anno gra-

tiæ 1492 partem ejus aliqvam detexit, omnium primus consecutus jam diu visus est. Nec minorem AmericusVespurius Florentinus, qvi qvinto post anno auspiciis Emanuelis Portugalliæ Regis eam ingressus est, imò etiam majorem reportavit. Sunt tamen, qvi partium ejus inventionem prioribus seculis sibi arrogant: Veneti np: fratres, Nicolaus & Antonius cognomento Zeni anno Christi 1380, ultimò Norvegiæ Regis Haconis, in ordine nominis, ut ille haberi voluit, sexti, revera septimi; & ante illos duobus retrò seculis, Madochus filius Gvineth, Principis Valliæ frater, qvi circa annum 1170 colonias in Canadam & Floridam eduxisse traditur. Ex præsenti autem opusculo manifestum erit, neminem horum (etjamsi ea, qvæ de Zenis traduntur,

vera essent, de qvibus infra,) apertæ primitus Americæ laudem sibi, nec posteritatem illis jure meritoqve asserere potuisse: cùm illam gloriam Gronlandi, Islandiæ cives colonici, ipsiqve ex parte Islandi, utrisqve, & Madocho qvidem ante sesqvi, & qvod excurrit, seculum, omnium primi præripuerint, atqve adeò ut non modò detectæ, raptimqve etiam insessæ, latèqve tandem celebratæ Vinlandiæ, perqve vicinam ei Albaniam, seu Magnam Irlandiam, decantatæ religionis Christianæ (neqve enim per alios id prius fieri poterat,) decus & laudem immortalem sibi pepererint. Inspice igitur, benevole Lector, biformem hanc Vinlandiæ descriptionem, qvam tibi in præsens, non qvalem velim, sed qvalem accepi & possum, offero, utramqve jejunam & steri-

rilem ; neutram invicem omni ex parte consonam, magis ut præsens argumentum cofirmem, situmqve terræ ex annotatis indiciis aliis inqvirendum relinqvam, & si qvid juris primigenia illa occupatione partum est, posteris retexem, qvàm ut sperem me, vel utraqve, tibi satisfacturum. Priorem a principio ad cap: VIII Codex Flateyensis in historia Regis Olafi Triggvini, &c, ut apparet, alia etiam vetusta exemplaria exhibent, qvam ex illorum aliqvo mutuatus, regni Sveciæ Archivarius Clariss: Johannes Peringskiold, Historiæ Regum Septentrionalium Heimskringlæ a cap. CIV. ad cap: CXII inseruisse videtur, cùm in exemplaribus, qvæ Snorrio Sturlæo vulgò adscribuntur, Kringla puta aut Jofraskinna, qvæ ex Biblio-

 the-

theca ædis S Stæ Trinitatis Hafnienſis penes me, ſunt. non exſtent.

Poſteriorem prioris ſeculi celebris antiqvarius Biornns de Skardſa Islandus, ex antiqvis monumentis, ſed maximam partem ex Hauki legiferi (qvi anno 1334 deceſſit) conſummatiſſimo Originum Islandiæ libro & variis poſteriorum temporum traditionibus collectam. In eo utriqve conveniunt, qvòd vel fine primi a nativitate Salvatoris millenarii, vel principio ſeqventis ſeculi viſa, mox etiam detecta fuerit Vinlandia, atqve ita de eo omnis dubitandi materia tollitur, disſenſus in cæteris tantum abeſt ut marrationis fundamenta evertat, ut magis etiam confirmet: cùm enim conveniant in principalibus, varie-

tas

tas circa particularia, eaqve minutiora, facilè monſtrat, diverſos hos Scriptores nec in falſis tradendis inter ſe conſpirâſſe, nec alterum alterius Scripta compilâſſe. De tali argumento Clariſſ: Olaus Rudbeckius Atlant: ſuæ cap. 1. paragr: 2do eruditè diſſerit, ex qvibus pauca adſcribam, poſtqvam enim præmiſiſſet diſſertatiunculam de abſtruſa fabulis & ænigmatibus implicata ſcribendi ratione, hæc ſubjicit.
„ Verum enimvero & alios reperire licebit, qvibus non tantum „ hæc abſtruſa ſcribendi ratio, ſed „ etiam clariſſimis verbis omnia „ proponens hiſtoria, maximè ſi „ diverſos ſcriptores in nonnullis „ rebus ab invicem diſcrepare contingat, pro inani commento „ erit. Qvid ſi talibus rem u- „

„ nam eandemqve diverſis tempo-
„ ribus narrandi neceſſitas impo-
„ natur, an credimus eos ſemper
„ eodem ordine, totidemqve ver-
„ bis, necnon rerum qvarumvis
„ minutiſſimarum enumeratione
„ pari ad ungvem uſuros eſſe? Mi-
„ nimè; Profectò ne qvidem inter
„ ſeſe hoc modo qvatuor Evange-
„ liſtæ conſentiunt, utut in verita-
„ tate & omnibus doctrinæ cæle-
„ ſtis capitibus admirandus ſit eo-
„ rum conſenſus. Libri qvoqve
„ Regum, & qvos in Veteri Fœdere
„ Paralipomenon vocant, & ſi tem-
„ porum eorundem acta notent,
„ verbis tamen & rerum copia non-
„ nunqvam ita diſcrepant, ut ad hi-
„ ſtoriam plenè perfectèqve traden-
„ dam, alteri alteris mutuam qvan-
„ doqve operam præbere tenean-
tur.

tur. Itaqve ad veritatem erŭendam, ſuffecerit ſane primaria rei capita indagâſſe: in cæteris enim levior eſt ſcriptorum diſſenſus, qvàm ut veritati ſua luce radianti officere debeat: id qvod illuſtri exemplô adhuc uberiùs declarandum veniet. Moſes diluvium longe accuratiſſimè nobis delineavit, & occaſionem, cauſas, modos, temporis moras, hominesqve poſt illud ſuperſtites diligentiſſimè notavit, eadem poſtmodum res ſub fide traditionis ad ipſos qvoqve paganos evulgata eſt, verùm & temporis longinqvitate, & ſubleſtâ narrantium fide, multos magnosqve hiatus, nonnunqvam etiam interpolationem, ut & mutationem multam accepit. Deinde poſt-

„ qvam variorum de cataclysmo
„ relationes in medium protulit,
„ hæc tandem addit. Qvid? qvod
„ hæc ipsa penitius perpendere vo-
„ lenti jam illud, ut nemini antea
„ cogitatum, ita fidem omnem su-
„ perans patefiet, inesse his Scri-
„ ptorum inter se discordantibus
„ narrationibus certissimum qvod-
„ dam consensus ac etiam veritatis
„ ipsius fundamentum, divina velut
„ providentia positum: nam ut eos,
„ qvi rem eandem, iisdem plane
„ verbis & eodem ordine ac ap-
„ paratu narrant, pro alienorum
„ laborum (unum excipe, qvi re-
„ liqvis tempore fuerit prior) com-
„ pilatoribus habemus; sic qvo-
„ qve si Chaldæi, Scythæ, Græci &
„ Ægyptii, cum ipso Mose, vel
„ alio diluvii scriptore verbis ac

re-

rebus prorſus conſenſiſſent, hanc „
eandem cenſuram effugere neuti- „
qvam potuiſſent: ac tum qvidem „
non multorum, ſed unius tota hæc „
res ſtare videretur teſtimonio at- „
qve fide. Verum qvoties unam ali- „
qvam rem, de qva inter ſe conveni- „
unt, diverſi diverſâ ratione expli- „
cant, facilè apparet eandem a plu- „
ribus conſpectam aut perceptam, „
ſed non æqve certâ ab omni par- „
te fide, nec etiam diligentia pari „
ab omnibus ad poſteros propa- „
gatam fuiſſe. Interim tamen id, „
in qvo rei cardo vertitur, & plu- „
rium teſtmoniis confirmatum „
manet, & nos qvoqve de ſe mi- „
nus dubitare ſinit. „

Verum majore prologo, qvàm res exigit, diverſitatem harum nar-

rationnum excuſo, eſt enim admodum exigua, & levi negotio perpenditur.

I. Codex Flateyenſis viſas nec aditas novas terras Biarnio Islando; inſpectas Leifo, nominibusq; inſignitas tradit. Biornus de Skardſá, de de Biarnio tacet, cætera confitetur: levis eſt diſſenſus, an eas in reditu e Norvegia Leifus adierit, an ex Gronlandia ad eas inſpiciendas ſolverit.

II. Cod: Flat: Thorvaldum Erici Ruffi filium, proximum ab eo illas luſtraſſe, ſagitta demum a Skrælingis transfixum: Biornus ab unipede minore veriſimilitudine tradit, inducit enim fabuloſam unipedum patriam.

III. Cod: Flat: Thorſteinum ejus fratrem poſt ejus obitum navi-

gationem eò instituisse: Biornus ante ejus obitum factum statuit. Codici majori debetur fides, primo enim exponit uxoris ejus obitum, conditiones, & tandem qvomodo Karlsefnio nupserit.

IV. Cod: Flat: tertiam expeditionem in Vinlandiam duce Karlsefnio, (Thorsteinus enim eò non pervenerat) describit. Biornus enucleatius omnia exseqvitur; errat tamen in eo, qvod Thorvaldum inter socios ejus recenset, qvi prius cæsus erat; nec magis fidem meretur, illum Marklandiæ & Hellulandiæ nomina imposuisse, aliis certè locis dedisse videtur.

V. Cod: Flat: qvartam Vinlandiæ repetitionem solus exponit; qvam Biornus in Hauki libro non invenit, optimè tamen consistit,

noviſſima enim erat, videturqve Freidis Eirici Ruffi filia utriqve interfuiſſe, poſteriori efferata ferociter ſæviiſſe, minutiores circumſtantias non excutiam; non enim tanti eſt, annône uno aut altero diſcrepet inventio iſtarum terrarum, aut Eirici Ruffi vitæ excitus, & ſimilia. Qvæ verò de ſitu Vinlandiæ controverti poſſunt, in notis, qvanta potuimus deligentia, diſcuſſimus. In eo enim terrarum Americæ Septentrionalis ambitu qværenda eſt, ubi ea vel proveniunt vel ſibi conſiſtunt, qvæ hic deſcribuntur, terrarumqve indoles his conſentanea reperitur, an verò illa ratione cæli, cui Eſtotilandia ex vulgari opinione ſubjicitur, ipſi competant, valde dubito.

Non me latet Bunonem, in notis

tis ad Philippi Cluverii introductionem in universalem Geographiam Lib: VI. Cap: 12 negare, in illis Americæ partibus (Canadam describit) Estotilandiam exstare, vel etiam in vicino mari insulam Frislandiam unqvam exstitisse; non modo suffragante Henrico Kippingo, Institut: Polit: lib. 1. Cap. 20. p: m. 173. sed omnem iis situm abrogante his verbis: Frislandia & Estotilandia nusqvam gentium sunt, qvicqvid Zeni Veneti in maritimo itinere nobis persvadere voluerint: Buno tamen, notis dicti operis, lib: III cap. XX. Paragraph: 4. p. 209 a se diversus, tradit Gronlandiam per fretum Davis ab Estotilandia Americæ separari. Mihi de nomine nulla lis est, cùm Sanson d' Abbeville, recentioresqve Geographi, Novam Terram

ram Laboratoris & Eſtotilandiam pro ſynonymis agnoſcant, freto Hudzonis adjacentem; diverſam tamen hanc eſſe ab illa, qvam Zeni deſcribunt, vel inde ſuſpicor, qvod illam mille ampliùs milliaribus ad occaſum vergentem à Frislandia disjunctam perhibent: cùm tamen Frislandia ſub gradu æqvatoris 62 longitud: circiter 342, Eſtotilandia lat. 58 long. circiter 290 vulgo collocetur, longius igitur in Americam eos progreſſos oportet, ibiqve eam, qvam deſcribunt, Eſtotilandiam inveniſſe; terram certe ſpatioſam, qvippe Islandiâ paulo contractiorem, ſed fertilitate, utpote ſub mitiore cœlo, ſuperiorem, dititiſſimam, & omnibus rebus, etiam auro & variis metallis, abundantiſſimam, urbibus, arcibus, oppidis & ſplendidis ædificiis, conſpicuam,

qvod

qvod nescio an in barbaras illas gentes istis seculis qvadret. Accedit insulæ Drogii, & vastissimarum terrarum, inde in austrum africumqve projectarum, qvæ alterius orbis speciem repræsentent, evulgata descriptio; qvæ opinionem suggerunt, eos in Americæ septentrionalis partes fuisse delatos. Eos autem, qvi posteriori tempore extrema septentrionalis Americæ detexerunt, persvasos eandem illam Estotilandiam, qvam illi decantant, assecutos fuisse, in nomine, situ licet diverso, acqvievisse: certè lemborum fabrica, barbaris istis gentibus (Skrælingis) familiaris, hoc ipso scripto ad lineam expressa, isto seculo tam remotis gentibus forte prorsus ignota, etiam mihi persvaderet, istos fratres in illum delatos oceanum, partem aliqvam Americæ attigisse,

si

ſi certus eſſem monumentum iſtᵭ hoc prius typis deſcriptum fuiſſe, qvàm gentium iſtarum notitia latius ſparſa, impoſtoribus uberiorem comminiſcendi materiam mentiendiqve facultatem præbuit. Jam verò ob craſſa crudaqve figmenta fabularumqve portenta, qvibus repletum eſt, totum illud ſub tantorum virorum nomine, ad authoritatem conciliandam, poſterioribus temporibus confictum exiſtimo, gnarus, ut alios reticeam, effrontis Blevkenianæ, muſcâqve impudentioris Martinerianæ audaciæ, qvorum uterqve itineraria ſua in Islandiam & Gronlandiam, (& hic poſterior glorioſiſſimæ memoriæ Regis FRIDERICI TERTII tempore, eò ſe profectum nugatur, cùm tamen neſciam, an alter Islandiam, neuter certe Gronlandiam unqvam viderit,) ſtupen-

ſtupendâ temeritate typis excuſa evulgarent, apudqve multos, & hic qvoqve poſterior apud Clariſſ: Olaum Rudbeckium, fidem & æſtimationem haud exiguam meruit. Portento ſimile eſt; urbem inſulæ Frislandiæ primariam, tanta piſcium copia abundantem exſtitiſſe, ut Belgæ pariter ac Britanni, nec non Angli, Scoti, Norvegi & Dani copioſè eos peterent, & inſulani ex iis ingentes opes cumularent: nihil tamen in harum gentium annalibus de iis, & ne veſtigium de ipſa Frislandia & commerciis cum incolis usqvam exſtare: ne Norvegis qvidem aut Islandis, qvi in illorum terra & aulis freqventes bellis etiam adhibebantur, alii commercia exercebant, conſtare, in ditione unqvam fuiſſe Frislandiam, ſibiqve vi à Zichinno ereptam, nec unqvam (qvod tamen regi-

regibus insolens) non dicam recuperatam, sed ne qvæsitam qvidem, aut ad obseqvii reductionem tentatam. Regeris mentionem ejus apud Geographos celebrari: Johannes enim Laurentius Ananias in sua Fabrica del mondo tradit, eam suo tempore piscibus admodum opulentam fuisse, eoqve nomine à Scotis & Btitannis commerciis freqventatam: relatumqve sibi à Jona Britanno, Jacobi Cartherii, qvi primus Novam Franciam Anno 1534. invenit, propinqvo, qvi eam ipse ingressus sit, qvod cives illius perqvam humani ergaqve exteros benefici sint, id qvod Johannes Boterus confirmet. Johannes Antonius Maginus insuper testatur, qvod suo tempore Angli magna insulanorum lucro commercia exerceant, ipsamqve insulam Vest-England, seu

occi-

occidentalem Angliam nuncupent. Meminit & ejus Ortelius pag. 90. Bertius pag. 56. Johannes Miritius in opuſculo Geographico Anno 1590. edito, cujus verba Arngrimus Jonas Crymogææ lib. III. pag. m. 190. adducit ſuamq; ſententiam de ſingulis ſubjicit. Mercator autem & Hondius ulterius progreſſi, urbes Frislandiæ propriis nominibus exprimunt. 1. Metropolin, inſulæ cognominem. 2. Sorand. 3. Ocibar. 4. Saneſtol. 5. Crodme. 6. Doffais. 7. Campo. 8. Rane. 9. Bondendon. 10. Rovea. 11. Andefort. 12. Cabaru. Parvæ qvoqve inſulæ circa Frislandiam recenſentur. 1. Ilofo. 2. Jedeve. 3. Venai. 4. Monaco. 5. Spirige. 6. Streme. 7. Ibini. 8. Duime. 9. Porlanda. Hæc qvin doctiſſimi viri, Buno &

Kippingus legerint nullus dubito, non tamen permoveri poterant, ut ullum iis pretium ſtatuerint: nec recentiores Geographi ut illis locum in ſuis deſcriptionibus concederent. Ego certe qvi rerum Norvegicarum hiſtoriam ex fide dignis documentis undiqve collegi, nusqvam hujus Frislandiæ mentionem inveni, inficior itaqve eam Norvegis unqvam fuiſſe ſubjectam, ad fabulas igitur referendum eſt, qvod de bello Zichinni cum Norvegis ibi traditur. Nec magis qvod de Islandia & adſitis inſulis ſcripſit, ſibi conſiſtit, omnium enim ſeculorum experientiæ repugnat, de qvibus inſpici poterit Arngrimus Jonas Specimine Islandiæ part. 2. memb. 2. pag. m. 140. & ſeqq. ut & Theodorus Thorlacius Diſſert. de Islandia,

qvi

qvi abunde lectori satisfacient. Omissis itaqve iis qvæ de Gronlandia absurda scriptor ille prodidit, ab Ivaris Berii viri istarum rerum peritissimi descriptione longe aliena, ut & aliis, puta de Grislandia Estlandia & Icaria istarumqve terrarum ignoto nec unqvam detecto situ adjecit, gloriam inventæ primum Vinlandiæ, Gronlàndis, Islandisqve Norvegorum soboli propriam illibatamqve relinqvimus: nec inventæ tantum, sed etiam promulgatæ inter istas gentes Christianæ religionis laudem adstruimus. Arius enim Maris filius Islandus in Irlandiam magnam non procul à Vinlandia (qvàm aliàs Albaniam seu Hvitra manna land vocant ab Hibernia seu Irlandia sex dierum navigatione, occidentem versus di-

fterminatam, tefte lib. Originum Islandiæ part, 2. cap. 22. pag. 64. qvæ diftantia haud multum à Philippi Cluverii rationibus differt, qvi fpatium illud Canadam usqve 200. milliaribus lib. VI. cap. XI. pag. m. 419. metitur,) tempeftate pulfus Chriftianis ibi facris initiatus dicto loco traditur, id vero ante annum Chrifti 1000. introductamqve in Islandiam Chriftianam religionem factum oportet, erat enim Ulfi Skialgi, ejus qvi primus Reykianefiam occupavit, pronepos, cumqve nec illo tempore Gronlandia, nedum ifta magna Irlandia Chriftianis facris imbuta fuerit, neceffe eft dum ille ibi detentus erat, (detinebatur autem qvoad vixit,) promulgata ibi fuiffe facra myfteria, qvorum is tunc particeps fiebat, id

id vero factum conjicio per Jonem, Jonam, ſive Johannem, Epiſcopum Hibernum, qvi, ſedente ad cathedram Schalholtinam Isleifo, primo totius Islandiæ præſule, inter annum 1056. & 1080. eò venit, inde in Vinlandiam profectus Euangelium prædicaſſe, multosqve Chriſto lucratus, tandem ſupplicio affectus necatusqve perhibetur: de qvo cap. noſtræ Vinlandiæ XVI. His itaqve annis non ſolum Vinlandia, qvæ tunc ab ipſo Adamo Bremenſi ſcriptis celebrari meruit, ſed etiam hæc ipſa magna Hibernia innotuit, ut hæc narratio de hoc Ario qvam jam deſcribimus, ex relatione Orcadenſis Comitis Thorfinni qvi anno 1064. deceſſit, ab Islandis excepta, ibiqve publicata, inqve literas relata fuerit. Hinc facilis conjectura

 eſt;

eſt; plures etiam Chriſtianos ex Hibernia, & aliunde, ad propagandam religionem à prima terrarum iſtarum notitia eò conceſſiſſe, licet id Islandi & Gronlandi ignorarent. Id tamen iis notatum eſt, Eiricum deinde primum Gronlandiæ antiſtitem ſeculo poſteriori, anno nimirum 1121. Vinlandiam, ut tunc ſatis celebrem, qvæſiviſſe, (qvo qvæſo alio fine, qvam ut Chriſto ibidem operaretur.) invaluiſſeqve opinionem, eum in iſta inqviſitione periiſſe. Sed longè ante eum Biornum Breidvikingenſium athletam, ſi non in Vinlandiam, certe tamen in aliqvam Americæ ſeptentrionalis partem perveniſſe, auxilioqve & authoritate popularem ſuum Gunnlaugū Gudleifi filium, cum univerſa ſocietate nautica præſenti vitæ diſcri-

mini

mine eripuisse dicto cap. indicatum est. Hi sunt illi, qvos Sanson d'Abbeville in descriptione Virginiæ pag. 14. Gasconem qvendam, per Gascones intellexisse, nobis suggerit, scribit enim eum sibi confirmasse, se probaturum Gascones in Nova-Francia fuisse annis qvadringentis vel qvingentis anteqvam Baro de Lerg, aut Johannes Verazzanus eò pervenerunt, pervenerunt autem prior anno 1518, posterior 1542, qvod tempus cum ex amussim conveniat, cum seculo, qvo primum terræ istæ detectæ sunt, magnam scriptis nostris authoritatem confert: ut nihil dicam de parte Novæ Franciæ, qvæ ad mare accedit, Norumberga, ab urbe cognomine, ut placet Cluverio ita dicta, qvam Buno in notis ad eun-

dem locum, qvaſi Norvegiam, ſeu coloniam è Norvegia eò deductam interpretatur. Planum eſt poſt Chriſtophori Columbi tempora nullam Novæ Franciæ partem Norvegis inſeſſam, nomen forte terræ priſcis temporibus ab iis inditum remanſit. An vero urbs illa ante Gallorum adventum, condita fuerit, mihi nondum liqvet; certe ſi illis prior excitata eſt, originem à gente aſtruere videtur, ſin poſterior, à territorio in qvo ſita eſt, illud vero ex veteribus colonis. Ex his cum abunde demonſtratum ſit, illam partem Americæ, primo, qvod æræ Chriſtianæ millenarium excedit, ſeculo, late per ſeptentrionem occidentemqve celebrem factam, qvo fato, ſuccedentibus ſeculis usqve ad Columbi tempora, tam

craſſa

crassa caligine mersa delituerit, me qvoqve latet: illam penitius exploraturum experientissimum Nordmannorum Principem, ut tradit Adamus Bremensis, Haraldum (Strenuum sive Imperiosum) in glacialem Gronlandiæ oceanum tempestate abreptum, re irrita rediisse, ex ejus relatione colligo, qvi si ejus indolem dotesqve accuratius inspexisset, procul dubio composita cum Danis lite unctiorem prædam eamqve innoxiam, & periculi forte expertem, sibi comparasset, opesqve & potentiam toti septentrioni formidabilem; sed diuturno implicitus bello tantæ ignotæqve rei non vacabat. Ad illam qvoqve partemqve ejus Vinlandiam, seculi tertii anno 88. missum ab Eirico ejus nominis secundo Norvegiæ Rege
 cog-

cognomento Preſtahatara, (Græci μισόκληρον verterent) inqvirendam, Rolfum qvendam, adqve iſtam navigationem ſuppetias ab Islandis anno ſeqvente exactas; Arngrimus Crymog; lib. III. pag. m. 119. & ſeqq. conjectat, duobus tantum ſeculis, ante detectam à Columbo auſtralis Americæ partem. Nihil itaqve abſurdi habet qvod de Madocho ad annum 1170. ſuperius retulimus: nam plures gentes hoc temporum tractu colonias eò miſiſſe vero conſentaneum eſt: nec ſcio qvomodo Thorfinnio Orcadenſium Comiti, rerum etiam minutarum (ut in Ario apparet) notitia, ex iſtis terris ſecus obtigerit. Ex adverſo ſi his ſeculis (de tertio enim agimus ſub Eirico Secundo Norvege Rege) fama iſtarum peren-

rennavit, qvomodo illa Henricum Septimum Angliæ Regem, omnesqve ejus ministros duobus exinde seculis, omnino præteriit. Constat enim Columbum ei primo consilia sua aperuisse, eiqve suam operam obtulisse, qvam is minime abnuisset, si terrarum temporumq; priorum circa hanc materiam cognitionem habuisset. Mihi persvasum est, omnes peregrinos à barbaris istis vel interfectos vel expugnatos, residuosqve usu navium & egressu prohibitos, & si qvi deinde accesserunt, pariter tractatos, hancqve ob causam memoriam terrarum istarum gentiumqve subito intercidisse, apud solos tantum Islandos consecratam: Grænlandos certe & Islandos vim eorum & numerum veritos

tos

tos possessione terræ cessisse hic legimus, non sponte sed invitos, totamqvamqve Vesturbigdam Gronlandiæ à Skrælingis vastatam Ivar Berius testatur. Non igitur cum Celeb. Grotio statuam, gentes has à Gronlandis proseminatas, sed potius ex Samogedis, qvorum mores & vitæ genus ipsis familiare ex utriusqve collatione ostenditur: natura qvoqve & indoles admodum similis, utriqve staturá exiles, nec facie & lineamentis discrepant, tuguria utriqve & corpora pellibus ferarum tegunt, solem pariter adorant, aurum argentumqe ignorant, vilissimas merces, specula, hamulos, cultros & crotala utriqve magni faciunt, jaculandi par utrisqve & destinata certo ictu collineandi peritia, crudæ utrisqve carnes esca, inde

de enatus perpetuus fœtor, & ſi qvæ præterea inter eos concurrunt: nec tranſitus, qvantumvis montibus & intercedentibus deſertis impeditus, omnino, feras præſertim perſeqventibus, invius, qvem etiam ſtratâ glacie freta ſinusqve continuo gelu cruſtati pontis inſtar præbent; nec infinita inter gentes, utpote contractioribus gradibus diremtas, diſtantia, intercedentibus qvoqve ad Svalbardum gentibus, interſtincta, teſtante Gronlandiæ noſtræ cap. V. in fine. Adſtruunt, præter hæc, originem, animalia utrisqve communia, ab importatis in Gronlandiam, bobus puta & eqvis, diverſa; qvæ America, ante Hiſpanorum acceſſum ignoravit, ad qvorum etiam boatus & hinnitus incolæ horrueruut;

Samo-

Samogedarum itaqve ſoboles barbari iſti videntur, tandem, ſive ignota hactenus terreſtri viâ, in extrema Americæ; ſive navigiolis ſuis (qvibus à mari nullum periculum) à ſe ipſis adinventis delati. Nec tamen protinus cæteras Americæ partes ab iis excultas, gentesqve ab horum natura moribusqve diſcrepantes, ab his prognatas exiſtimem, qvarum varietas originem qvoqve variat, de qvibus utpote extra Scopum, nihil nobis diſputandum. Qvod ſi qvis idem de ultimo libri hujus capite, qvod prodigia Frodarenſia perſeqvitur, judicium ferat, ſciat nos occaſione qvam ibi memoravimus eò fuiſſe provectos, ut varietate qvadam, feſſos legentium animos recrearemus, qvibus qvisqve pro ſuo ingenio, pretium, no-

nobis haud invitis, ſtatuere poterit. Cumqve non plura ſuccurrant, qvæ notatu digna animadverti, hæc qvaliacunqve humaniſſe Lector, boni conſule, fave,

Vale.



Elenchus Capitum in præsentem Vinlandiæ historiam.



Cap.



CAP. I.

De detectæ primum Vinlandiæ, ejusqve deinceps inventæ occasione.

Herjulfus ille, qvi anno CMLXXXV. Eiricum Rufum ex Islandia secutus, Herjulfsnesiam occupavit, filium habuit nomine Biarnium, ex uxore sua Thorgerde, qvi in tenera statim ætate ad exteras nationes profectus opibus & experientia augebatur; moras autem hybernas vel in exteris, vel apud patrem, per vices agere consveverat, decreveratqve hanc hyemem intra penates paternos transigere; cum autem redux in patriam eum in Gronlandiam concessisse eadem æstate, ibiqve sedem posuisse, cognovit, pertinax

receptæ conſvetudinis cultor, etiam in Gronlandia, ignota licet, recensqve inventa terra, domoqve paterna ſe hyematurum affirmabat; itaqve navim ignoto mari commiſit, nulli nautarum prius ſulcato; triduum navigando exactum, qvo præter cælum aqvasqve nihil conſpectum eſt, tüm vero aqvilone flante caligo proſpectum per complures dies & navigationis ſimul dirigendæ notitiam adimebat; qva diſcuſſa, expanſis velis per integrum diem noctemqve navigatum eſt, donec terra ignota appareret, ad eam igitur propius accedentes, ut montibus deſtitutam, ſilvis conſitam, collibusqve humilibus depreſſam adnimadvertunt, verſis velis eam deferunt. Biduum inde ferenti lybonoto datum, donec alia terra in conſpectum veniret, plana, ſilvisqve abundans, qvam cum diverſam à Gronlandiæ montoſæ nivoſæqve habitu navarchus agnoſceret, nautis petentibus, ut aſcenderet, aqvasqve & ligna inde deſumeret, ventis licet ſubſidentibus, non tamen exorari ſe paſſus eſt, qvapropter etiam reprehenſionem aliqvalem incurrit. Inde cum ſolviſſet,

viſſet, Africo per triduum carbaſa inflante uſus, aliam adhuc terram montibus editis, faſtigiisqve albicantibus, offendit; hanc etiam cum propius acceſſiſſet, inſulamqve deprehendiſſet, velut inutilem præteriit. Jamqve vento invaleſcente vela contrahi juſſit; qvatuor dies hoc curſu tranſacti; tum demum terra qvarta conſpecta eſt, qvam ex aliorum relatione Gronlandiam judicabat, adqve eam navem applicans pervenit ſub veſperam ad promontorium Herjolfsneſiam, ubi pater ejus habitavit; navigationeqve felicius abſoluta, qvam prudentius ſuſcepta, deſtitit deinceps perigrinari, manſitqve apud patrem, qvoad is vixerat, prædiumqve à morte ejus incoluit.

CAP. II.

De Vinlandia inventa à Leifo.

Ad Norvegiæ Comitem Eiricum Haconis filium Biarnius Herjolfinus è Gronlandia trajiciens cum perveniſſet, hoſpitaliter primo exceptus, mox

aulicorum ejus numero inſcriptus eſt, retulitqve, qvas terras ad id tempus, nemini, qvod ſciret, acceſſas viderit, reprehenſus ex parte, judicio vulgi, ut parum in iis explorandis curioſus. Æſtate proxima, in Gronlandiam transfretavit, ſæpiusqve de inqvirendis illis regionibus ſermo inſtitutus eſt. Ad eum igitur Leifus Fortunatus de Brattahlide profectus, navem ejus emit; navalibusqve ſociis triginta qvinqve conductis, patrem oravit, ut iis ad inqvirendas noviter viſas terras ducem ſe præbere vellet. Eiricus ſenilem ætatem, incommodis maris tempeſtatumqve, minus qvam in flore juventæ, ſuſtinendarum idoneam excuſabat; tandem urgenti filio, fortunæ, illi ſupra familiæ ſortem faventioris, fiducia ceſſit, domoqve profectus, non procul à nave, nutante eqvo, deturbatus, pede valde luxato, ſiniſtriora ominatus, haut ſibi fata plures terras inveniendas, qvàm eam, qvam jam incolerent, deſtinaſſe reſpondit, domumqve rediit, Leifo cum ſociis deſtinata perſeqvente, qvos inter vir qvidam auſtralis, (hac enim nota Germanos ſcriptores antiqvi intelli-

telligunt) nomine Tyrker, memoratur. Prima iis ſe conſpiciendam præbuit terra Biarnio noviſſime viſa, qvam propius accedentes ſcapham expediebant, aſcendentesqve ſupra montes, perpetuis nivibus obductos, infra velut continua petrâ, ad mare usqve, conſtratam, ideoqve plane inutilem obſervabant. Tum Leifus: Biarnii qvidem incuriam correximus, explorando terram; ei igitur nomen ab indole ſua impertiar, vocabiturqve Hellulandia, id eſt, terra petroſa. Inde digreſſi aliam terram reperiebant; qvam ſimiliter conſcendentes, planam eam nec altioribus marginibus undas coërcentem, paſſimqve ſilvis virentem, arenisqve albis conſitam deprehenderunt: Eam Leifus à planitie Marklandiam appellavit (inde patet, non, ut qvibusdam placet, vocem mark regionem, ſed planitiem vel planam regionem notare.) Inde poſt exiguam moram ſolventes, aqvilone per biduum carbaſa inflante terram denuo conſpexerunt, cujus boreali lateri inſula prætexebatur, adqve eam, nave admota, ſudo cœlo exſcendentes, gramina rore madentia deprehen-

derunt, guſtu vel cum melle certantia. Inde regreſſi ad navem, eam in fretum, qvod inter inſulam & promontorium in Septentrionem à continente extenſum intercedit, deduxerunt, qvæ, dum promontorium prænavigantes flexu in occidentem tenderent, decreſcentibus undis in vadis conſtitit, magnis deinde æſtuariis mari dirempta. Verum tanta erat illis novæ terræ inviſendæ cupido, ut non expectato refluxu eâ relictâ in terram per fluvium, qvi è lacu ſe exonerabat, continuo ingrederentur, qvam æſtu accedente per amnem in lacum deduxerunt, ibiqve, jactis anchoris, cum eam collocaſſent, tabernas in ripa fixerunt, exinde hybernacula magna exſtruxerunt. Abundabat tum fluvius, tum lacus ſalmonum ingenti copia, & qvidem grandiorum, qvam qvos antea viderant. Tanta ibi ſoli fæcunditas, cæliqve clementia, ut ne fæno pecora hyberno tempore indigere viderentur, nullum ibi hybernum gelu, parum gramina aruerunt. Brumales diés ibi qvam vel in Islandia, vel Gron-

Gronlandia longiores, ad horam nonam circa folftitia Sol oriebatur, tertiam occidit. (Id autem eos haut exactius obfervaffe fertilitas regionis cæliqve natura evincit; talia enim fub gradu Æqvatoris 58. 26 min: ubi dies longiffimus octodecim horis conftat, breviffimus autem fex, nullibi alias affulgere notum eft. Singulæ enim dierum partes tribus horis illis conftabant, qvas haut accuratè in his partibus diftingvere folebant.) Exftructis deinde ædificiis bipartito divifi, pars domi retenta, pars ad explorandam terram junctim, ne fparfi periculis objicerentur, nec longius qvam itu redituqve diurno, fortitò emiffa, qvibus ipfe Leifus alternis fe adjungebat, prudentia & dexteritate ubiqve acceptus.

CAP. III.

De inventis vitibus, agreftibusqve uvis, Leifiqve reditu.

 Eve-

Evenit autem, ut, redeuntibus exploratoribus, Germanus ille Tyrker solus desideraretur. Ad eum igitur reqvirendum Leifus protinus duodecim ablegavit, vicem ejus valde sollicitus, utpote viri longo tempore in paterna domo versati, suiqve à teneris valde studiosi, & cultoris obseqviosi; nec longe ab hybernis processerant, cum obvium habent hilarem, & in ebrii hominis speciem formatum, qvi, oculis ultro citroqve contortis, illis risum ciebat, vir statura pusillus, sed omne genus fabrilium artium apprime gnarus. Interrogatus tantæ moræ caussam, idiomate Germanico, illis qvidem ignoto, diutius locutus, tandem respondit, se paullo longius qvam Leifum processisse, ibiqve vites uvasqve deprehendisse; dubitantibus, confirmavit se ibi natum esse, ubi talia affatim provenirent. Operas igitur inter nautas partitus Leifus, alios legendis uvis, alios vitibus cædendis adhibuit, illisqve scapham, his navem replevit; primoqve vere novam terram deserens, a vitibus & uvis Vinlandiam, seu Vineariam vel Vineaticam appellavit.

Gron-

Gronlandiam deinde ſecundis ventis repetens, cum ejus montes albicantes in conſpectu haberet, navem à recto curſu deflexit, qvodam nautarum cauſſam qværente ſcopulum an navem oculis ſignaret, non ſibi liqvere reſpondit. Omnibus ſcopulum judicantibus ipſe inſuper homines ibidem vagantes obſervavit, erat enim omnibus iis oculatior. Viſis autem communiter hominibus naufragis, ſe illos, ſi pacifici eſſent, periculo exempturum affirmavit, ſecus in poteſtatem redacturum, expeditaqve minore ſcaphâ, qvindecim unà cum gubernatore Norvego Thorere deprehendit, omnes cum mercibus, qvantis poterant, navi receptos, in ſinum Eiriksfiordum, prædiumqve paternum Brattahlıdem devexit. Thorerem cum uxore Gudride Thorbiorni filia & tribus nautis hoſpitio excepit, cæteris apud vicinos per hoſpitia diſtributis. Exinde Felicis ſeu Fortunati cognomem adeptus eſt, qvod tamen ad annum milleſimum Chronica MSS. ut & Codex Flat: ſupra pag: 233. ſui ipſius immemor retulit. Hinc &

opibus & gloriâ auctus perhibetur. Thorvaldo autem fratri ejus non satis explorata nova terra visa est. Igitur navem fratris impetravit, eâ tamen lege, ut relicta in scopulo ligna, qvæ naufraga Thoreris navis vexerat, prius domum deveheret. Eadem hyeme morbus per nautas Thoreris grassatus eum cum magna eorum parte absumsit; Eiricusqve Rufus naturæ concessit, vir ab inventa Gronlandia memorabilis. Annum autem certum, vel æræ Christianæ, vel imperii Comitum Eirici & Sveni, qvi tum Norvegiæ præfuerunt, nullum invenio.

Cap. IV.

De profectione Thorvaldi in Vinlandiam, lustratisqve ejus partibus, repertisqve novæ gentis qvibusdam, cæde Thorvaldi, reditu in patriam.

Thor-

Thorvaldus triginta nautis instructus Vinlandiam petivit, hyememqve in hybernaculis fratris sui Leifi piscatione exegit. Proximo vere, retento acatio, partem nautarum navi impositam, ad occidentales regionis partes, tota æstate perscrutandas emisit. Visa est terra amæna, sylvis à mari brevi intervallo distantibus consita, albis arenis circa litora operta, freqventibus insulis, sed vadis brevibusqve spatiosis interstinctis undiqve obsepta, nulla ibi hominum domicilia, sed nec ferarum qvidem lustra inventa sunt, tantum in insula qvadam versus occidentem idgenus ligna pyramidali forma exstructa, qvalia horrei loco, condendis frugibus in usu sunt, (kornhialm af tre Codex Flat: vocat), nec ulla præterea humana vestigia. Atqve ita eodem autumno in hyberna reditum. Seqventi æstate navis in orientales borealesqve oras directa, in tempestates incidit, allisaqvę promontorio, carinam fregit, longoqve tempore ibi refecta est. Hinc promontorio nomen Kialarnes Thorvaldus indidit, qvasi carinæ promontorium. Inde

in

in orientem deflectentes, in ostium sinus devenerunt, navemqve promontorio proximo, qvod sylvæ universum vestiebant, applicantes in stationem deduxerunt, Thorvaldus autem cum nautis omnibus promontorium conscendit, amænitateqve loci captus: hic, inqvit, pulchrum est, averemqve domicilium figere. Regressiqve in navem, tres colles in arena infra promontorium conspexerunt; eò cum se contulisset; naviculas tres coriaceas sev scorteas animadverterunt, subqve qvalibet viros tres, qvorum unus cum navicula evasit, cæteri octo comprehensi, occisiqve sunt, magna hercle incogitantia adversus eos, qvos demulcere, qvam exterrere aut exasperare, præstitisset. Inde ad promontorium regressi, intra sinum colles qvosdam conspexerunt, qvos inhabitatos existimabant. Mox repentinus sopor omnes oppressit, tam gravis, ut destinatis vigiliis excuti non possit, qvem desubito audita vox dissolvit, hac formula: Evigila qvæso Thorvalde cum omni comitatu, modo vitam conservare animus est, navemqve celerrime universi con-

scen-

ſcendite, hincqve diſcedite. His experge-factí, univerſum ſinum navigiis coopertum conſpiciunt; monet igitur Thorvaldus, ut in reſubita munimentis è frondibus & aſſeribus contextis ſe protegerent, ſed parce hoſtes impeterent. Exorta deinde turba ingens, jacula & ſagittas effusè in eos ingerebant, qvi poſt horulam multo deinde effuſius fugiebant. Hos Norvegi per contemptum Skrælingos, id eſt homunciones appellabant. Tunc Thorvaldus à ſuis qvæſivit, an ullus eorum vulneratus eſſet; qvibus negantibus, ſe qvidem ſaucium reſpondit, ictum qvippe telo, qvod inter clypeum evolans, ſub ſiniſtra ala conſtiterit, nec dubium, qvin ad necem; ſe igitur ad promontorium, qvod habitationi deſtinavit, deferri jubet, ibiqvi ſepeliri; nec enim votum vanum fuiſſe, ſe enim ibi aliqvantiſper habitaturum. Cruces duas alteram ad caput, ad pedes alteram, ſupra ſepulchrum erigi mandavit, Promontoriumqve in poſterum, Kroſſaneſiam, ſev crucium promontorium appellari, indeqve abitum oportune maturare. Hoc tempore Gronlandiam Chri-

ſtiana

ſtiana religione imbutam, Eiricum tamen Rufum hoc loco ante receptum Chriſtianiſmum exceſſiſſe Codex Flateyenſis tradit, cum tamen pag: 233. eum, hortante Leifo, cum omni Gronlandico populo baptizatum dixerit. Ibi Thorvaldus, uti præceperat, ſepultus eſt, nautæ vero ad ſocios reverſi, proximam hyemem ibi permanſerunt. Vere autem, qvod ſeqvebatur, nave vitibus uvisqve onuſta, inde ſolventes, in Gronlandiam ad Leifum in prædium Brattahlidem devenerunt.

Cap. V.

De Thorſteini Leifi fratris Vinlandiam inviſuri laborioſo ſimul & irrito itinere, repulſu in Gronlandiam, exorta peſte, ejus morte & prodigio.

Dum hæc in Vinlandia gererentur, Thorſteinus tertius Eirici Rufi filius,

lius, Gudridem Thoreris illius, qvem naufragio Leifus exemerat, uxorem matrimonio fibi fociavit. Jam vero cognitâ fratris morte, ad reliqvias ejus in patriam deferendas in Vinlandiam transfretare conftituit. Eadem ergo nave, qva prius frater velificatus eò folvit, viginti qvinqve delectis viris inftructus, hybernaculis fratris Leifi, non dono fed ad ufum impetratis, uxorem ut thori, ita qvoqve itineris, fociam affumpfit. Totâ æftate tempeftatibus agitatus, poft hebdomadam à principio hyemis elapfam, in finum occidentalis Gronlandiæ Lyfufiordum dictum delatus, omnes qvidem nautas in hyberna per viciniam diftribuit, folus autem cum uxore hofpitio deftitutus, in nave dies aliqvot cum uxore moratus eft, tandem invitatus à Thorfteino qvodam, cognomine Surto fev Nigro, qvi folus cum uxore, Grimhilde dicta, domum absqve ulla familia incoluit, ad eum divertit, proqve facultate domini, fi non lautè, benignè tamen exceptus eft. Primâ hyeme morbus per nautas omnes Thorfteini pervadens, multos eorum abfumpfit, qvos loculis

culis conditos navi impoſuit, delaturus in Eirici ſinum cum vernaſſet, ibiqve ſepulturus. Recens jam in Gronlandia Chriſtianiſmus erat, nec iisdem ſacris Thorſteinus Niger, cum uxore ſua Grimhilde imbutus. Fuit illa mulier ſtaturâ roboreqve par viris robuſtiſſimis; tandem eam ut & Thorſteinum Eirici, eadem tabes invaſit, ſimulqve decumbebant. Illa vero prior mortua, tabulæ ferali pro tenuiorum illis in locis conditione imponenda; verum dum in ea conqvirenda maritus Thorſteinus occuparetur, ipſo Thorſteino Eirici filio unà decumbente, uxoreqve ſua, præſentibus ſurrectura calceos reqvirere cæpit, ſed marito redeunte lectum repetens, magno eum fragore concuſſit, qvam maritus multa opera ægrè extulit ſepelivitqve. Poſtea Thorſteinus Eiricius exſpiravit. Thorſteinus autem ruris dominus, uxorem ejus ſolaturus, eam in Eiriksfiordum, cum funere mariti ſociorumqve ſe delaturum promiſit, inqve ejus gratiam plures adſciturum, ne ibi langvore tabeſceret. Interim Thorſteinus, qvi mortuus erat, ſe in lecto erigens: Ubi?
inqvit

inqvit Gudridis eſt? terqve hanc qvæſtionem repetivit. Illa tanto portento attonita, ab hoſpite, an ei reſpondendum eſſet, conſulto inhibebatur. Ipſe vero propius accedens, ſellæ juxta lectum inſidere cæpit: mox qvid vellet exqviſivit. Is autem reſpondit, ſe qvidem ad loca amæna perveniſſe, geſtire autem uxorem ſolari, eiqve fata inſtantia pandere, qvò orbitatem patientiùs ferat, nupturamqve eam viro Islando, diuqve in illius patria ei convicturam prædixit, nobilemqve inde proſapiam pullulaturam. Romam eam viſuram, poſtremum Monialem ad templum, qvod in Islandia exſtrueretur, futuram, provectamqve ſenio placidè morituram. Hæc an ita ſe habeant, an in adulationem Epiſcoporum, qvi ex illa originem traxerunt, conficta vel corrupta, lectoris judicio permitto. His dictis, Thorſteinus lecto ſe iterum reddidit. Cadaver ejus ſociorumqve Thorſteinus bona fide, qvò promiſerat, transportavit, venditaqve villa, in Eiriksfiordum cum omnibus bonis migravit, ibiqve qvoad vixit, ſed longè qvam antea honoratior habitavit. Funera

ra deinde omnia ad templum, qvod tum exſtructum erat, ſepulta ſunt; Gudridis autem ad mariti ſui fratrem Leifum conceſſit.

CAP. VI.

De profectione Karlsefnii in Vinlandiam, mercaturâ inter eum & Skrælingos, indeqve exortis diffidiis, qvæ in apertum bellum eruperunt.

Eadem æſtate Thorfinnus cognomento Karlsefnius Islandus, Thordi Heſthofdii filius, Snorrii, ex Thorhilde Riupa, Thordi Gelleris filiâ, nepos, Thordi de prædio Hofdio, alias Spakonufellzhofdio, pronepos, vir apprimè opulentus in Gronlandiam è Norvegia profectus, hoſpitioqve à Leifo exceptus, impetrato ejus conſenſu, Gudridem uxorem duxit. Hic cum ſexaginta nautis, ſocietate

tate in æqvales lucri partes inita, comitante uxore, assumptis unà diversis animantium generibus, ad excolendam Vinlandiam trajiciens, ad tabernas Leifi, qvas commodatò acceperat, incolumis devenit, ubi balænam ex earum genere, qvas Reid vocant, interqve maximas (utpote centum, interdum etiam centum & triginta cubitos longas) reputant, in litus appulsam invenit, magnum ad rem penuariam momentum; pecora autem armentaqve, lætis pascuis repertis, & in his taurus insignis, admodum cæperunt luxuriare. Karlsefnius deinde ligna cædi, poliriqve, rupiqve imposita arefieri curavit. Omnes autem fructus terræ, vel maris, nunc uvas colligendo, nunc piscando, decerpebant (minus mihi probatur, qvod Biornus de Skardza, antiqvarius insignis Islandus, historiæ suæ procul dubio è vetusta membrana exscriptæ inseruit, triticum ibi sponte provenisse.) Prima hyeme transactâ, cum æstas supervenisset, homunciones illos, qvos, Skrælingos vocabant, deprehenderunt, magno numero è sylva prorumpentes, haut pro-

cul paſcuis ubi taurus cum bobus aliis ſaginabatur, cujus horrendo boatu omnes deterriti ad domum Karlsefnii cum ſarcinis ſuis, variis pellium generibus, Zibellinis præſertim, alborumqve murium, refertis, ſe convertentes, per fores illico ingreſſuri, imperio domini arcebantur, præter corporis habitum, etiam lingva ab illis diſcreti, nihilominus depoſitis ſarcinis merces venales exponebant, armis permutare cupientes, id qvod Karlsefnius ut ſibi ſuisqve periculoſum prohibuit, qvorum loco mulieres cibum lactariaqve apponi juſſit, qvibus guſtatis, ea ſolum nec præterea qvicqvam appetebant, promercaliumqve mercium ſarcinis ſarcinas ventrum permutantes, ſaturati ciboqve graves diſcedebant. Interea Karlsefnius ædificia lignea ſæpe munivit. Primâ autem brumâ cum uxor ejus filium Snorrium peperiſſet, Skrælingi multo qvam antea plures redibant, vidulis ut prius inſtructi, lactea iis iterum cibaria præbita, ſarcinisqve ſuper ſepta conjectis penſata. Forte Gudridis in ædibus, ad cunas infantis asſidens, umbram in foribus obſervabat,

mox

mox mulier palla nigra vaſtaqve induta, linteo caput velata, coma fuſca, facie pallida, oculis autem inuſitatæ & ſupra modum unius capitis magnitudinis, ingreſſa, eamqve accedens, his verbis affata eſt; qvid tibi nomen eſt? qvod profeſſa, iſtiusqve iterum ſciſcitata, ſe qvoqve Gudridem vocari reſpondit; dum autem illam ad aſſidendum invitaret, ſonitus fragorqve ingens foris exaudiebatur, domeſticorum namqve Karlsefnii unus Skrælingorum unum arma furto ſurrepturum occidit, confeſtimqve mulier, ſoli Gudridi nec ulli alii viſa diſparuit, Skrælingi qvoqve in fugam ſe conjicientes, merces veſtesqve reliqverunt. Verum Karlsefnius plures ad vindicandam cædem redituros conjectans, omnes ad ſilvarum interiora excidenda, qvò commodius pecora abderentur, delegavit, decem autem iis in promontorio oſtentandos, qvò facilius eos allicerent, locum autem conflictui inter ſylvam & aqvam delegit, ne à multitudiae circumfunderentur, tauro aciem præcedente. Nec fefellit eum opinio, eò enim Skrælingi magno nume-

ro confluebant, notabili suorum damno, multi enim eo conflictu occisi sunt, taurus qvoqve inusitatus, Ingrato illorum auribus boatu eos valde terruit. Inter eos qvidam forma speciosa, statura reliqvis procerior, eminebat, princepsqve videbatur, cum forte unus Skrælingorum adjacentem securim apprehensam aliqvantisperq; contemplatus, in caput commilitis sui impegit, eodemqve ictu examinavit, id qvod vir ille ingens conspicatus, eam in manus sumpsit, paulisperqve inspectans, jactu qvam longissimo in mare projecit, detestatus, ut videtur, ferrum, occidendis hominibus cusum. Actutum deinde omnes effuse fugientes, silvis se abscondebant, Karlsefnius autem hyeme exacta, proximo vere navem vitibus aliisqve mercibus, qvæ ibi provenerunt, oneravit, Gronlandiamqve repetens, in sinum Eiriksfiordum delatus ibidem hyemavit.

CAP.

CAP. VII.

De qvarta expeditione in Vinlandiam ducibus Thorvardo Freydisis marito & duobus Islandis Helgio & Fimbogio, Freydisisqve immanitate, Karlsefnii in Islandiam reditu & prosapia.

Eadem æstate, qvâ Karlsefnius in Gronlandiam rediit, duo fratres è Norvegia Helgius & Fimbogius in orientali Islandiæ qvadrante nati eò appulerunt, ibiqve hyemabant. Interea Freydis Eirici Rufi filia (Biorno de Skardza notha) repetendæ proximo vere Vinlandiæ consilium agitans Gardis ad eos profecta in societatem invitat, qvæ lucri damniqve certa collatione convenit, adjecto, ut æqvato utriusqve partis numero singulæ triginta tantum viris, armis idoneis,

præter fæminas constarent. Mox ipsa, tabernis fratris Leifi mutuo acceptis, conditionem de nautarum numero statim transgressa, qvinqve viros ultra suæ navi impulsuit, occultavitqve, donec in Vinlandiam ventum esset. Qvò fratres paulo prius delati, tugurio Leifi res suas inferebant, qvod illa adveniens indignata, ut contra pactum interpretata est, qvod sibi non illis commodatum fuisset. Illi consensum in communem utilitatem, usum qvoqve casæ communem supposuisse regerentes, nihilominus furori illius se cessuros affirmabant, neqve enim cum illius malitia certaturos, elatisqve suis rebus, domum aliam in litore exstruebant. Illa autem arbores, qvibus navem oneraret, vites forte (eodem enim nomine efferuntur) excidi curavit. Instante hyeme, ludi pro more instituti, sed interveniente discordia, haut diu durabant, commercio omni inter eos & Freydisem ejusqve nautas longo tempore sublato. Mane qvodam Freydis lecto exsurgens, absqve calceis, togâ tantum viri assumpta sine comite ad tabernas fratrum solo roscido

ex-

exſpatiata, in foribus, qvas nuper egresſus nauta qvidam aperuit, aliqvantiſper preſſa voce conſtitit, qvod ut Fimbogius, tum ſolus evigilans obſervavit, qvid rei eſſet qværit? Illa ad ſecretiora conſilia evocatum, ad lignum â latere tabernæ in uſum ſcamni adhibitum deduxit, ibiqve conſidebant. Tum vero ut ei ibi placeret, qværenti, optime qvidem terræ conditionem, diffidia autem inter eos, nulla cauſſa prævia valde diſplicere, reſpondebat; idem qvoqve ſibi cum affirmaſſet, adjecit adventus ſui cauſſam, cum enim Gronlandiam repetere in animo haberet, navem ſuam illius, utpote capaciore, permutare velle. Id qvod ſe ipſius gratiæ daturum promiſit. His dictis ab invicem diſceſſum eſt, Fimbogio lectum ſuum, illa mariti, repetentibus. Is vero ut rigentes frigore, madentesqve humore pedes attrectabat, cauſſam ſciſcitatus eſt. Illa mærore iraqve ſimul æſtuans, lamentis jurgia miſcuit, egreſſam ſe ad fratrum tabernam, permutationem navium expetiviſſe, oppreſſam deinde plagis, verberibusqve ab illis affectam qveſta, per ſocordi-

am illius omnium injuriæ obnoxiam futuram, neqve enim illi ad vindicandum animum; haut itaqve immeritò se desiderio patriæ teneri, ubi ab injuriis omnium libera tutaqve familiæ præsidio semper fuerit, & in posterum futura sit, qvod si indignissimi facinoris ultionem intermitteret, se conjugium cum illo dissoluturam minabatur. His talibusqve virum exacerbatum repente incitavit, ut protinus suos omnes ad arma capienda evocaret; qvi ingressi dormientium tabernas, singulos in vincula conjerunt, eductosqve foras obtruncarunt. Occisisqve viris omnibus, cum solæ fæminæ (erant autem numero qvinqve) restarent, nemoqve eas occidere vellet, ipsa securim poposcit, omnesqve sua manu occidit. Omnibus factum abominantibus, ipsa tanqvam re præclarè gestâ triumphantis speciem præferebat, singulis, si hæc in Gronlandia publicarent, necem se machinaturam minabatur, imperabatqve, ut dicerent eos, qvi occisi sunt, in Vinlandia habitare. Appetente vere, navem fratribus ereptam, ad reditum in Gronlandiam ap-

apparavit, onuſtam mercibus Vinlandicis, primaqve æſtate eò devenerunt, Karlsefnio in ſinu Eiriksfiordo cum inſtructa nave, qva opulentior nulla ad id tempus è Gronlandiâ ſolviſſe dicitur, ventos ſecundos exſpectante. Cum autem metu, minisqve ſolis, homicidia occultari deſperaret, prædam inter ſocios liberaliter partita eſt, donisqve inſuper ſingulos corrupit, qvod pudore infamis qvæſtus, metuqve pœnæ cum ſceleris contagio, omnes ſimul contacti eſſent, obligatione inſuper munerum, acrius coërcerentur. His artibus confiſa, domi ſecura manebat, cum marito, imperio ſuo ſubjecto, nomine Thorvardo, ſatis locupletata. Verum ne ſic qvidem flagitium enorme reticeri potuit, qvin per eosdem, qvi in illo exeqvendo ei obſeqvebantur, Leifo fratri innotuerit, qvi de tribus eorum qvæſtione habita veritatem expreſſit, execratusqve in ſororem, ſupplicium qvidem de ea ſumere ſe nolle aſſeveravit, tantum vaticinari, ejus progeniem infelicem futuram. Exinde Freydis omnibus exoſa, infamem

qvoad

qvoad vixit vitam, decore omni destitutam agebat. Karlsefnius cum uxore Gudride è Gronlandia cum solvisset, felici cursu in Norvegiam pervenit, opibus abunde instructus, apud præcipuos viros in magno honore fuit, ibiqve hyemem transegit. Cum autem in portu navis in Islandiam parata staret, vir qvidam Bremensis coronidem ejus (husasnotra habetur) licitabat, dimidia auri selibra, qvam cum vendidisset, cognovit è ligno, qvod mausr vocant, antea sibi incognito, qvantumvis è Vinlandia avecto fabricatam (Arngrimus lignum istud masholter baum, vel ruscum mevsdorn, qvi circum ligatus mures arceat, fuisse existimat, qvam recte nescio, pretiosissima idgenus ligna fuisse patet ex Haraldi Imperiosi vita, qvi vasculum potorium Thorere de Steige, qvi ipsi Regium nomen indidit, magnifici muneris loco donavit) cum in sinum orientalis Islandiæ Skagafiordum dictum deinceps delatus esset, hyememqve ibi exegisset, emit prædium Glaumbæ, exædificavitqve pro loci conditione magni-

magnifice & inhabitavit, qvoad vixit, inter primates viros honorabatur, clara ex illo prosapia deinceps orta est. Post ejus obitum uxor, postqvam cum filio Snorrio in Vinlandia nato, domo longo tempore præfuisset, Romam petivit; Inde Domum reversa, sacram ab eo ædem domi exstructam deprehendit. Secularibus deinde curis vacans Deo se devovit, monialisqve facta, sanctioribus studiis ad finem usqve vitæ operata est. Snorrii filius Thorgeir, pater erat Ingveldis Brandi Episcopi matris, filia autem Snorrii Hallfridis, mater fuit Runolfi Thorlaci Episcopi patris. Frater Snorrii Germanus fuit Biornus, Thorunæ pater, illa autem Biarnium Episcopum progeneravit. Qvæ autem hic relata sunt ex ore Karlsefnii excepta Codex Flat: pag: 288 tradit. Multum autem hinc discrepant ea, qvæ Biornus de Skardza secutus est, antiqvissimi licet seculi genium redolentia, documenta, vetustissimis strophis interstincta, qvæ Haukus nomophylax collegit; floruit anno MCCCVI. qvæ summatim exponere non pigebit.

Cap.

Cap. VIII.

De Leifi itinere in Norvegiam ad Regem Olafum Tryggvinum, inventaqve in reditu Vinlandia, & religionis Christianæ felici in patria promulgatione.

Eirici Rufi uxorem Thorhildem nominat, eorumqve filios Thorsteinum & Leifum, viros eximios, qvorum prior apud patrem semper manserit, nec fuerit in Gronlandia, qvi illum animi corporisqve dotibus antecesserit. Leifum autem, ut primum è Gronlandia navigaverit, in Hæbudas delatum tradit, ubi longo per æstatem tempore moratus, assveverit mulieri nomine Thorgunnæ claris natalibus ortæ, sed abstrusarum artium peritæ, vel potius veneficæ, qvæ eum abeuntem comitari voluerit, qvæsivisse igitur perhibetur, an id ex consensu propinqvorum ejus fieri posset, qva se illud nihil

nihil morari reſpondente, regeſſiſſe, tam nobilem fœminam in peregrina terra captivam à ſe tam exigua manu duci non poſſe. Illa ſe gravidam eo patre profeſſa, & procul dubio filium enixuram, qvem ad eum, cum primo per ætatem liceat, miſſuram, vel promiſit, vel minata eſt, ſe deniqve aliqvando ſecuturam; ominari autem filium illum haut ei qvandoqve utiliorem futurum, qvam abitus ejus ſibi hoc tempore eſſet acceptus. Ei Leifus diſcedens annulum digitalem donabat, pallam inſuper ex Gronlandico panno, baltheumqve dentibus animantium interſtinctum. Puer ille Thorgils dictus, poſtea in Gronlandiam devenit, eumqve Leifus filium agnovit; dicitur etiam in Islandiam æſtate, qvæ prodigia Frodurarenſia præceſſit, delatus (id qvod conſiſtere nullo modo poteſt, incidunt enim, teſte Eyrbyggva ſaga, in annum Chriſti milleſimum, qvi pueri hujus natalis eſt) In Gronlandia deinceps moratus, anteqvam finiretur, monſtroſum qvid edidiſſe viſus perhibetur. Id autem ſpecialius nullibi expreſſum invenio. Leifus ex Hebridibus

per

per autumnum in Norvegiam devectus, in magno honore apud Regem Olafum Tryggvinum fuit, aqve illo ad Chriſtianam religionem æſtate proxima in patria plantandam amandatus, viſus namqve illi vir ſpectabilis & felix perhibetur. Eo in itinere longo tempore à recto curſu devians, incidiſſe fertur in terras ignotas, eo ſitu, ubi nulla terrarum ſpes unqvam fuerat. Ibi agri triticum ſponte natum ferebant, vites etiam naſcebantur cum arboribus, qvas mauſr vocabant; tantæ autem arbores iſtæ fuiſſe dicuntur, ut ligna inde ædificandis domibus apta deſumpta ſint. In itinere naufragum hominem liberaſſe traditur, reduxqve Chriſtianam religionem publice promulgaſſe, literas etiam Regis Olafi, certaqve voluntatis ejus ſigna exhibuiſſe, gloriamqve novæ religionis multis verbis celebraſſe. Abnuit pater, Thorhildis autem uxor ſtatim iſthæc probavit, ædemqve ſacram exſtrui curavit, ubi cum illis, qvi convertebantur, precibus vacavit. Exinde ædes illa Thorhildis ædes dicta eſt, lectiqve & commercii divortium

jam

jam Christiana facta cum marito fecit, id qvod is admodum ægrè tulit. Proxima hyeme Leifus qvinqvaginta Reppas seu pagos in Gronlandia ad Christum convertit; in Orientali regionis parte id factum Biornus de Skardza interpretatur.

Cap. IX.

De Thorsteini Leifi fratris in investiganda Vinlandia irrito conatu, repulsu in Gronlandiam, nuptiis cum Gudride Thorbiorni filia, ejus educatione & majoribus in Islandia.

Exinde cupido investigandæ terræ Leifo inventæ complures incessit, qvorum princeps Thorsteinus Eirici filius, vir prudens & popularis. In Eiricum tamen omnium vota inclinabant, utpote virum inventa Gronlandia fortu-

natum, experientia insuper clarum; diu cum abnuisset, amicorum tamen petitioni ad ultimum cessit. Navis Thorbiorni Vivillici, de qvo mox plura, viginti nautis parvo commeatu instructa ad id delecta est. Mane qvodam Eiricus domo eqvitans, prius scrinium auro argentoqve plenum abscondit; In via autem eqvo cum excidisset, duabus costis fractis, brachium, qvà humeris jungitur, valde læsit. Uxori itaqve Thorhildi, thesaurum absconditum ut auferret, mandavit, pænam enim hanc se ideo mansisse, qvod eum occultasset, fassus est. Magna deinde lætitia è sinu Eiriksfiordo solvebant, verum longo tempore tædioqve à cursu aberrabant, nam Islandiam in conspectu habuerunt, aves etiam Hybernicas viderunt, actiqve per oceanum, sub hyemem in sinum Eiriksfiordum iterum devenerunt, omnesqve socios nauticos propriis penatibus destitutos per hyemem liberaliter Eiricus Rufus aluit. Eadem hyeme Thorsteinus Eirici Rufi filius Gudridem Thorbiorni Vivilici filiam, consentiente patre, uxorem duxit, de cujus parentibus, ipsiusqve puellæ edu-

edueatione pauca prælibanda ſunt. Thorbiorni illius pater Vivill, unus erat comitum Reginæ Auduris, profunde divitis, Thorſteini Rufi matris, & qvidem inter captivos Hibernicos ſervili conditoni mancipatus, prius qvam eum Audr libertati reſtitueret. Cum autem illa ſociis nauticis prædia diſtribueret, eumqve præteriiſſet, fertur qvæſiviſſe, qvamobrem id faceret? illa autem reſpondiſſe, nihil referre, nam ubicunqve eſſet, magnum virum futurum; vallem tamen de nomine ejus poſtea Vivilsdalum dictam ei donabat, qvam ad finem usqve vitæ poſtea inhabitavit. Hujus filii fuere Thorgeir & Thorbiornus; ſinguli ſingulas Einaris de Laugabrecka Sigmundi filii Ketillis Thiſtilis ſinus (Thiſtilsfiordi) eponymi nepotis filias uxores duxerunt; Iſte Arnoram, ille Hallveigem, ex qva Thorbiornus Gudridem hanc, de qva agimus, mira ſpecie virginem filiam ſuſcepit, qvam Ormus vir opulentus, de prædio Arnarſtapa occidentalis Islandiæ qvadrantis, cum uxore ſua Halldiſe educavit, illius nuptias cum Einar qvidam, qvi negotiando rem fecerat, qvantumvis opu-

lentus, tantum qvod libertino patre fatus esset, non impetravit, patre virginis Thorbiorno qvantumvis opibus ad familiæ sumtus sustentandos indigente; qvi cum videret res suas extenuari, nec pari ut antea splendore familiam sustentari posse, maluit solum vertere, qvam qvicqvam ex solita magnificentia remittere. In Gronlandiam igitur ad amicum suum Eiricum Rufum, qvem in Islandia opibus auxilioqve juvit, concessit. Is enim discedens amicis promisit, occasionem non intermissurum, si qvæ illis forte indigentibus, juvandis unqvam affulgeret. Triginta nautis instructus, inqve horum numero Ormo cum uxore familiaqve, qvi illum nunqvam deserere sustinebat, (verum suborto in itinere morbo, perqve nautas pervadente, cum uxore sua sublatus est) patria solvens in promontorium Herjolsnesiam delatus, ab opulento viro, ejus loci primario nomine Thorkele hospitio exceptus est, cum omnibus nautis, qvibus is alimenta liberaliter præbebat.

CAP.

Cap. X.

De fæmina qvadam fatidica, ejus habitu, & in arte Seidica peritia.

Affligebat eo tempore dira fames Gronlandiam; multi autem ſcire geſtiebant, qvanto tempore duratura eſſet, id autem facile ſe aſſecuturos ſperabant indicio fæminæ fatidicæ, nomine Thorbiorgis, qvæ per terram illam hyberno tempore convivari ſolebat apud eos, qvi futurorum fatorumqve ſuorum curioſi illam invitabant. Cum autem Thorkell tractus iſtius facile princeps haberetur, ei etiam competere videbatur, ut hoc onere in ſe ſuſcepto incolarum deſiderio ſatisfaceret. Eam igitur Thorkell ad ſe invitavit, honorificeqve pro more excepit, qvæ novem ſororibus ſuis omnibus fatidicis ſola tum ſupervixerat. Alta ei ſedes in pulpito parata, culcitaqve plumis gallinaceis referta ſubſtrata, venientis ſagæ habitus ita deſcribitur. Pallam

cæruleam, ligulis adſtrictam (tingla mottul vocant) ad imam usqve fimbriam lapillis ornatam induebat, collum autem ſphærulis vitris cinxit, capite velamen ex pellibus nigris agninis felinis albis ſubductum, baculum manu, qvem globus ex orichalco lapillis confitus coronabat, geſtabat, zonam ſibi circumdedit, (Hunlandicam vertit Thomas Barthol: verbis exemplaris, qvod ſecutus eſt, ubi hyndskan linda habetur, meum habet hniosku linda, id qvod aridam zonam denotat, nullo ſenſu, ſuſpicor ſcribendum hundskins linda ɔ: zonam ex corio canino, talem enim delectum cæterarum pellium diverſitas ſuggerit) inde vaſta crumena dependebat, qva magicæ artis inſtrumenta recondebantur, pedibus calceos ex pelle vitulina villoſos longis corrigiiis adnexit, in qvarum extremitate magni globi ſtannei, manibus chirothecas é pelle felina, intus vollofas & albas geſtabat. Eam omnes honorifice ſalutabant, excepit autem ſalutationes prout cuiqve favebat. Thorkell manu ejus apprehenſa, in ſedem præparatam deduxit, oravitqve, ut domum, familiam,

miliam, greges & armenta accuratè contemplaretur, ipsa autem ad pleraqve tacuit. Fercula autem ei apponebantur, puls è lactè caprina, cordaqve omne genus animalium, qvæ ibi prostabant, cocleari ex orichalco, cultro mucrone fracto, cujus manubrium dentibus balænarum constabat, qvod duo ænei circuli ambiebant, usa est. Finitâ cœna remotisqve mensis, Thorkell eam accessit, sciscitatus an prospectus ei patuisset, utqve domus moresqve & ingenia eorum, qvi ibi essent, placerent, qvamqe cito ea, qvæ investiganda essent, nosse posset? Illa nihil se, priusqvã noctem ibi edormivisset, relaturam. Postridie pomeridianis horis, ea, qvæ ad incantationes Seidicas reqvirebantur, præbita sunt. In primis autem fœminas poscebat, qvæ carmen ad Seidicum exercitium omnino necessarium, Vardlokr dictum, callerent, nulla autem, qvæ teneret, inventa est. Tum Gudridis Thorbiorni filia respondit: Neqve ego fatidica sum, nec qvicqvam hujus artis scio, Halldis tamen educatrix mea in Islandia docuit me carmen, qvod Vardlokr vocant. Næ tu

qvidem ait Thorkell hac ſcientia felix es. Illa autem reſpondit: Hæc ſola res eſt, qvam ego nullo modo promovebo, ſum enim Chriſtiana. (Ex his cum ſeqventibus collatis patet Vinlandiam poſt annum milleſimum detectam eſſe.) Saga autem, ſine religionis ſuæ labe poſſe eam amicis hac in re morigerari. Hac Satanæ tentatione victa tenella virgo magicum carmen dulci melodia ad admirationem omnium præcinebat; interea mulieres pulpitum, cui ſaga inſidebat, circumſiſtebant. Finito carmine ſaga Gudridi gratias agebat, affirmans genios multos diverſosqve allectos carmine modulantisqve dulcedine jam acceſſiſſe, qvi antea eas deſerturi erant, obſeqviumqve detrectabant, patere jam ſibi multa, qvæ prius delituerunt. Thorkeli autem ſe prædicere annonam non ultra hyemem duraturam, miteſcenteqve cœlo levandam, morbumqve, qvi eos hucusqve vexabat, opinione citius deſiturum. Gudridi autem ſe opem ſibi latam repenſuram prædicebat, cito in Gronlandia viro longe maximo nupturam, nec tamen conjugium illud diuturnum

num futurum, cum fata eam in Islandiam revocent, ibi magnam honorandamqve sobolem ex ea progenerandam, qvam clariores radii illustrent, qvam ipsa intueri possit, eamqve amice salutatam dimisit. Exinde singuli, qvi aliqva cognoscendi cupidine tenebantur, eam pro se qvisqve sciscitabantur: Ipsa autem liberaliter ad interrogata respondens qvæsite enodavit. Deinde ad alia prædia per nuncios vocabatur; qva abscedente Thorbiornus Gudridis pater, qvi noluit impiis ceremoniis rituiqve magico interesse, inqve aliud prædium abscesserat, revocabatur. Dictis fatidicæ eventus per omnia respondebat, nam & fames caritasqve, appetente vere, morbus etiam à nautis Thorbiorni exortus cessabat. Thorbiornus igitur navem promontorio Herjolfsnesia molitus ad sinum Eiriksfiordum pervenit, aqve Eirico adventu ejus magnopere lætato, cum omni familia per integram hyemem vel potius partem reliqvam hyemis (primam enim partem veris hyemis nomine veteres censebant) hospitio exceptus est, proximo autem vere in Stockanesia Eiricus

ei agrum monſtrabat, ubi domum amplam ſatis exſtruxit, prædiumqve magnificum erexit, qvod qvoad vixit incoluit. Deinde Thorſteinus Eirici Rufi filius eam conſenſu Thorbiorni conjugio ſibi junxit. Codex Flat: viduam eam Thorſteino nupſiſſe tradit, junctam prius Thoreri, qvem Leifus naufragio liberavit. In prædio Brattahlid nuptiæ magnificè celebratæ ſunt, Eirico adhuc vivo, ſecus ac Codex Flat: tradit.

CAP. XI.

De contagioſo inter nautas Thorſteini exorto morbo, ejus morte, prodigio & in Gronlandia priſco ſepeliendi ritu, adventuqve Karlsefnii, & nuptiis cum Gudride.

Dimidiam partem prædii Liſufiordi dicti (malim prædii cujusdam in Liſufiordo) Thorſteinus poſſidebat,

bat, alteram ei cognominis alter, cui uxor etiam nomine Sigridis (Grimhildis codici Flat.) Eò Thorſteinus Eirici Rufi filius cum uxore ſe cæptu autumni contulit, hyememqve ibidem permanſit: morbus autem contagioſus univerſam domum infecit. Primus Oeconomus nomine Gardus, vir pluribus inviſus, occubuit, deinceps reliqvi, tandem etiam Thorſteinum Eirici filium, & Sigridem alterius Thorſteini uxorem peſtifera illa lues corripuit, ſimulqve decumbebant. Ægrotans autem Sigridis, cum comitata uxore Thorſteini Eiricii, veſpere qvodam in latrinam ſeceſſit, ubi vi morbi invaleſcente; vocem continere neqvibat. Qvo audito, Gudridis longius, qvam ut inclamantium vocem audire poſſent, progreſſas qveſta, ad reditum maturandum eam hortata eſt, Sigridis à mortuis, qvi præ foribus ſtarent, interclufam reſpondit, in eorum numero ipſam ſe agnoſcere; ut & Thòrſteinum Gudridis maritum. Poſt horulam deinde redeundum monuit, dilapſis qvippe ſpectris, Thorſteinum autem ſibi viſum ſcuticam tenentem cæteros

rös verberaturum; poſtqvam domum repetiverant, eadem nocte exſpiravit, locuſqve funeri recondendo paratus eſt. Cum autem Thorſteinus maritus ejus, ad ſtationem navium remiges piſcaturos deduxiſſet, per nuncium celeriter ab ægrotante Thorſteino revocabatur, metu periculi ab uxore ejus Sigride recens mortua, qvæ reſurgens eum infeſtans, veſtes nocturnas ſubitura videbatur, qvi ſubito rediens, deprehenſo Thorſteini ſpondam aſcendiſſe ſecurim magnam pectori ejus adegit. Thorſteinus autem Eirici filius ſub finem crepuſculi deceſſit. Nocte autem paulum procedente, erexit ſe, juſſitqve Gudridem uxorem acciri, teſtatus hanc horulam ſibi à Deo indultam, ad res ſuas componendas. Hoſpes itaqve eam dormientem excitavit, maritiqve juſſa ei expoſuit, non tamen qvid ei hac in re conſulat, ſibi conſtare. Illa autem reſpondit, prodigium hoc memorabile futurum, ſe autem eum acceſſuram, qvidqve afferat cognituram, fretam fiducia clementiæ Divinæ ſibi ſemper propitiæ, neqve enim ſe periculum, ſi qvod immineat,

effu-

effugituram, neqve cauſſam præbituram, ut mortuus deinceps poſt completa fata oberret, id autem ne fiat, ſe contra illum tergiverſante, valde verendum. Accedens mortuum lachrimas fundentem videre ſibi viſa eſt, qvi deinde qvædam ei ſoli, nulli alii cognita, in aurem inſuſurrabat. Hæc autem in propatulo locutus eſt: Beatos eſſe, qvi religionem Chriſtianam colerent, omni qvippe gratia Divinaqve miſericordia ſubnixam, paucis autem religiosè coli, corruptè etiam mortuos, jam ab inſtituta per Gronlandiã religione, terræ non conſecratæ mandari, funebribus cautionibus parcè celebratis, ſe autem cum aliis, qvi ibi deceſſerant, ad templum deferri velle, præter ſolum Gardum, ut qvi eos, qvi ad id usqve tempus per hyemem mortui ſunt, inqvietaverit. Eum enim ultricibus flammis qvam ociſſime comburendum monuit. Deinde uxori de inſtante ſorte ſua qvædam prædixit, præcepitqve, ut caveret, ne Gronlandorum ulli nuberet, pecuniam autem communem in templa, partem etiam in pauperes erogaret.

ret. Atqve his dictis iterum sopiebatur. Solebant in Gronlandia, aliis etiam semichristianis regionibus aut etiam incultis terris, navigationibus tamen freqventatis, mortui in humo non consecrata sepeliri, baculis supra pectora erectis, sepulchri sepultiqve indicibus, qvos sacerdos licet longo tempore evoluto extraxit, foraminiqve lustricam aqvam infudit, cantusqve exeqviales celebravit. Thorsteinus cum reliqvis funeribus ad templum delatus est. Gudridis autem ad mariti patrem Eiricum Rufum concessit, qvi eam filiæ loco habuit. Paulo post pater ejus Thorbiornus de Stockanesia decessit, cujus cum illa ex asse hæres esset, Eiricus patrimonii curam omnem in se recepit, & ex fide administravit. Eodem tempore binæ ex Islandia naves in sinum Eiriksfiordum devenerunt, aliam Thorfinnus Karlsefnius, adscito secum Snorrio Thorbrandino, de sinus Alftafiordi Islandiæ prædio Skogastranda, cum nautis qvadraginta: aliam Biarnius Grimolfinus de tractu, sinui Breidafiordo adjacenti, una cum Thorhallo

Gamlino ex orientali inſulæ ejus qvadrante totidem nautis inſtructam direxit, (codex Flat: ex Norvegia Karlsefnium profectum tradit.) Ad eos igitur Eiricus Rufus cum pluribus indigenis mercatum profectus humaniter excipitur, donoqve qvantum liberet è mercibus præcipere jubetur; à qvibus ille liberalitate vinci cum nollet, univerſos utriusqve navis nautas domum ad hybernandum invitat, qvi liberali hoſpitio læti, merces omnes eo devexerunt, nec ædes iis receptandis capaces defuerunt, omniaqve libèraliter præbita ſunt. Appetente feſto natali Salvatoris, cæpit Eiricus conſtritari, id obſervans Karlsefnius, cauſſam ſubitæ mutationis reqviſivit, pollicitus ſe ea, qvæ magna liberalitate in eos erogaverit, abunde compenſaturum, ille gratiſſimos illos ſibi hoſpites obveniſſe, ut qvi oblata grato animo acciperent, non tamen eo ſe ingenio eſſe, ut hoſpitum ſuorum damnum qværat; illud ſibi moleſtum, qvod cum inde digreſſi in alias terras devenirent, jure qveri poſſint, ſe nullibi feſtum natalitiorum, ſeu Jolenſe, parcius celebratum me-

meminiſſe, qvam Brattahlide Gronlandiæ ad Eiricum Rutum. Karlsefnius illam curam facile eximi poſſe reſpondit, ſe enim frumento polentaqve abundare, in uſum convivii, qvanta velit liberalitate inſtruendi, idqve domum deferendum conceſſit. Id qvod Eiricus etiam fecit, nec aliàs in paupere terra feſtum magnificentius celebratum traditur. Finito feſto Karlsefnius de nuptiis cum nuru ejus Gudride eum ut curatorem interpellavit, facileqve impetravit; qvæ magnifice in Brattahlide celebratæ ſunt, ibiqve hyems exacta. Atqve hæc ſunt, qvæ de Gudride parentibusqve ejus præmiſſa ſunt: ad Vinlandiam iterum redeamus.

CAP. XII.

De profectione Karlsefnii in Vinlandiam ejusdemqve expeditionis ſociorum, Biarnii nempe Thorhalli & Thorvardi Eirici

Ruſi

Rufi generi filiiqve Thorvaldi.

Hac eadem hyeme in Brattahlide de Vinlandia (nec tamen his monumentis traditur Leifum ei nomen impofuiffe) adeunda fermones fæpius ferebantur. Primo autem vere Karlsefnius cum Snorrio navem ad hanc expeditionem inftruxerunt, Biarnius Thorhallusqve, qvorum mentio prius facta eft, propria nave vecti, in expeditionis focietatem recepti. Tertiam navem Thorvardus Eirici Rufi gener, qvi Freydifem, filiam ejus notham, uxorem habebat, ut & Thorvaldi, ejusdem Eirici filius duxerunt, qvos Thorhallus Venator dictus comitabatur: diu ille familiam Eirici Rufi fecutus, venationibus per æftates, hyemes autem œconomiæ operam dabat, vir ftaturâ magnâ, robore ingenti, habitu giganteô, colore nigrô, eloqviô afpero & mordaci, afpectu trifti tetricôqve. Is Eirico finiftriora confililia femper fuggesfit, Chriftianæ religionis cultor negligens, locorum autem aviorum deferto-

rum & ſolitudinum ſcientiſſimus. Centum qvadraginta (conſtat autem, ut multoties dictum, centuria decadibus duodecim) nautæ in hanc expeditionem confluxerunt. In occidentalem inhabitatæ Gronlandiæ partem primò, inde in inſulas Biarneyas, noctem diemqve (tvo dægr) inde auſtrum verſus navigatum, qvoad terra in conſpectum venit. Ibi petræ multæ magnæqve proſtabant, duodecim cubitos lautæ, vulpium etiam magnus numerus; hanc Hellulandiam appellabant. Inde nox diesqve navigationi phænicem (oſt ſudoſt) verſus datæ, qvoad terra ſilvoſa, animalibus abundans appareret; cui inſula continenti ad vulturnum obverſa adjacebat. Ibi urſum occidebant, indeqve nomen ei Biarneyæ indiderunt, continentiqve Marklandiæ in auſtrum deinde vela faciebant, donec ad promontorium qvoddam perventum eſſet; ibi carina inventa, promontorioqve inde Kiarneſiæ nomen inditum eſt, litora autem Furduſtrandas, ſeu mira, vel mirè vaſta litora nominarunt. Deinde terra ſinibus ſecàbatur, qvorum unum cum intraſſent, emi-

emisit Karlsefnius par hominum natione Scotorũ, tantæ pernicitatis, ut feras cursu superarent, qvos Leifo Rex Olafus Tryggvinus discedenti donavit: Hakius vir, fœmina Hekia dicti. His nox cum duobus diebus data ad perscrutandam terram, inqve austrum tendere jussi, ad præfinitum tempus redibant, alter racemum, spicam alter triticeam, asportabat. Vestis horum Kiapal dicta, sine manicis ad latera aperta, tegumentum simul capitis, qvod inter fœmora fibula adstrinxit. Inde navigantes alterum sinum intrarunt, ad cujus ostium insula adjacebat, æstibus circumfusa, inde etiam Straumseya dicta; Ibi hyemabant, pecoraqve in terram emiserunt. Indoles terræ optima; Vites tamen & triticum non ferebat. Hic rerum ad sustentandam hyemem necessariarum, perqve autumnum colligendarum obliti, tantum in exploranda terra occupabantur. Tanta autem in insula illa anatum earum copia fuit, qvarum pluma in maximo pretio est, ædrqve Norvegis contractè œr vocantur, ut vix sine ovorum damno incessus per eam pateret.

 Hye-

Hyeme autem ſuperveniente, piſcatu & venatione deficiente, annonæ caritas ſubſecuta eſt: votis itaqve Deo ſuplicabant; verum cum non tam ſubito ut volebant exaudirentur, Thorhallus venator diſcesſit. Eum igitur cum poſt duos dies noctemqve inqviſiviſſent, tandem in prærupto jugo ſupinum jacentem, ore diducto, qvædam ſubmurmurantem invenerunt; qværentibus qvid ibi ageret, nihil ad eos reſpondit; domum tamen eos comitatus eſt. Paulo poſt cetus ad litora appulit, nemo autem, cujus generis eſſet, cognovit, qvem dum elixatum manducarent, ſinguli malè affici videbantur. Tum Thorhallus, potentior jam Rufus ille (Thorem indigitavit) Chriſto veſtro fuit, hac enim mercede odam, qvam ei dedicabam, rependit, raro enim me fefellit. Qvo cognito, cetum in mare projecerunt, Deoqve ſe ſuaqve omnia commiſerunt. Mox cælum miteſcebat, mareqve ſedatum, piſcationibus idoneum reddebatur, exinde alimentorum terra mariqve ſatis, nam & animalium copia ſuppetebat.

CAP.

CAP. XIII.

De Thorhallo venatore in Hiberniam propulſo, ſervitioqve ibi ad finem usqve vitæ multato, Karlsefnii cum ſociis Vinlandiæ ulteriore inveſtigatione, terræ illic aqvarumqve fæcunditate, Skrælingornm habitu, mercatura & inde exortis deſidiis, & bellis, qvæ tamen Skrælingorum majore damno finiebantur.

Thorhallus venator cum nautis nove n Furduſtrandas prætervectus, ve is in aqvilonem verſis, Vinlandiam reqvirebat. Extant duo rhytmi,

 dum

dum aqvam navi inferret, fufi, qvi antiqvitatem & qvidem iftius feculi genium fapiunt. Kialarnefia fuperata, cum in occidentem tenderet, oborta ab occafu tempeftas ad Hiberniam eum propulit, ubi omnes trifti fervitio preffi miferam vitam traduxerunt, donec ob Chriftianifmi odium impietatemqve morte multati funt. Id qvod mercatores in Islandiam retuliffe traduntur. At Karlsefnius cum Snorrio Biarnioqve contrario fitu illam inveftigaturus, proris in auftrum verfis, poft longam navigationem eò devenerunt, ubi fluvius è ftagno qvodam evolutus in mare decurrebat, fed longis intercedentibus æftuariis, navi, decrefcente æftu, inacceffus, itaqve eam in oftio collocabant, plana ibi camporum triticum, colles vites fponte natas proferebant, rivuli omnes pifcibus pleni, qvi, foffis in veniliæ fev acceffus maris extremis ductis, illati fcilicio, durante fev æftu recedente, nudis manibus capiebantur (id genus pifces facros vocant, credo qvod fine labore capiantur.) Diverfa ibi mul-

multaqve animalium genera, per pingvia paſcua ſylvasqve oberrabant. Poſt exactas, ludis corporibus reficiendis inſumptas, duas hebdomadas, ſine oblato ullo culturæ humanæ indicio, tempore qvodam matutino freqventes ſcaphas, coreis intectas appropinqvantes conſpexerunt, ſigna his erectæ, inqve orbem ſecundum Solem, trituræ ſtridore circumactæ haſtæ, pacis nuncia Snorrius Thorbrandinus, approbante Karlsefnio, interpretatus, prælato niveo clypeo, obviàm procedendum monuit, qvo viſo impigre adremigantes in terram exſcendunt, admirantes Gronlandos, nec ipſis minori admirationi fuerunt, nigri qvippe & aſpectu inſvavi, capillo brevi, genis amplis, oculisqve magnis; poſt exiguam deinde moram transmiſſo promontorio vela auſtrum verſus flectebant. Thorfinnus cum ſociis in tabernis, qvas diſtinctis locis propius mare vel remotius fixerat, hyemem nivis expertem tranſegit, pecora pabuloſis impaſta campis nihil alimenti ultra reqvirebant. Primo autem vere ſcorteis oriolis freqvens

ſinus turmas Skrælingorum ſignis pacificis provexit, albisqve clypeis exceptos in terram allexit. Permutatio deinde facta, hinc panni rubri, qvo advenæ mirè delectabantur, illinc ferinarum exuviarum, qvarum ſingulæ ſpithama veniebant, & cum expetentium aviditati non ſufficeret, pannus palmo, his capita obvolvebant. Forte procurrens è ſilva Karlsefnii taurus horrendo mugitu eos ita exterruit, ut verſi protinus in fugam, tres hebdomadas exeſſent; qvibus exactis ingens ſcaphularum adventantium numerus mare prope univerſum occupaſſe viſus eſt, nec ſigna ſecundum Solem ut antea, cum pacem denotarent, ſed inverſo ordine rotabantur. Belli ſignum Karlsefnius agnoſcens, rubrum clypeum erigi juſſit, iisqve obviam cum copiis armatis ibat. Skrælingi autem navibus erumpentes, miſſilibus fundis excuſſis illos eminus impetebant, globum deinde cæruleum, ovino ventri haut abſimilem, haſtæ impoſitum in terram ſupra milites Karlsefnii, retentâ haſta, jactabant, qvi magno ſtrepitu decidens, tantum præ ſe

ter-

terroris & formidinis egit, ut Karlsefnius cum ſociis nullum qvam in fuga auxilium circumſpicerent, marginemqve fluvii ſurſum effusè legentes undiqve terra mariqve ab accurrente turba circumfundi viderentur, nec poterat fuga ſiſti, priusqvam ad præruptas rupes perveniſſent: Ibi reſumptis animis fortiter reſiſtebant. Freydis autem ſuos fugientes animadvertens, intrepidè accedens, qvî, inqvit, fugitis viri bellicoſi homunciones hos, qvos non aliter qvam pecudes mactare poteſtis; eqvidem ſi mihi arma eſſent, hos in fruſta ſingulis veſtrum fortius comminuerem. Nihil id ad trepidantes animandos profecit; itaqve cum fugientes in ſylvam ſeqvi non poſſet (erat enim gravida) Skrælingos neqvaqvam evaſura videbatur: qvibus perſeqventibus, incidit in ſuorum qvendam mortuum. Is erat Thorbrandus Snorrii filius, cujus caput petræ jactu colliſum erat. Ejus igitur gladio arrepto, pugnæ ſe accingebat. Ut vero complures occurrentes videbat, exertam mammam gladio admovebat. Id metuentes Skrælingi ad naves fugiebant,

 ocy-

ocyusqve abſcedebant. Karlsefnius, Freydiſe collaudatâ, contemplari cæpit, qvænam ea turba fuiſſet, qvæ è ſilvis procurrebat; tandem animadverſum nudas fuisſe præſtigias, nec copias ullas, præter eas, qvæ navibus advectæ eos infeſtabant. Exinde ad ſauciorum vulnera obliganda ſe convertit; duo eo prælio amiſſi ſunt; Skrælingorum autem complures. Unus eorum in mortui Gronlandi cadaver cum incidiſſet, ſecurimqve adjacentem exciperet, eam ligno impegit; ut autem cædendo aptam acutamqve animadverterunt, unus poſt alium acumen ejus lignis cædendis experiebatur; qvidam autem idem in lapide cum experiretur, eam confregit, in qvem cum non pariter ac in lignum acuta animadverteretur, contemptui fuit, magnoqve niſu in mare projiciebatur. Karlsefnius continuum ab indigenis periculum proſpiciens, terram qvantumvis amænam deferendam duxit. Gronlandiam igitur repetiturus, cum in boream proras verteret, in qvinqve Skrælingos, pelleas veſtes indutos, dormientes in litore incidit, cava iis ligna arun-

di-

dinum inſtar adjacebant, medullam animalium ſangvine miſtam continentia; hoc ſigno in exilium eos actos conjiciebant, deinde occidebant. Poſtea in promontorium feris ita repletum, ut excrementis eorum univerſum prope tegeretur, delati ſunt, ibi namqve per noctes ſtabulabant, Mikiuneſeam à fimo appellabant. Inde in ſinum Straumsfiordum perventum eſt, ubi rerum neceſſariarum copia affluebat. Alii tradunt Karlſefnium, una cum Snorrrio, cum primum ad Straumseyam appulit, ex illa ſtatione una nave, qvadraginta nautis inſtructa, auſtrum verſus ad inqvirendam Vinlandiam ſolviſſe, centum reliqvis, & in iis uxore ſua & Biarnio ibidem relictis, vixqve duos menſes inter reditum interceſſiſſe, deinde eos in Vinlandiam transportaſſe, ubi hyems exacta ſit. Inde Karlsefnius, ad inqvirendum Thorhallum Venatorem unica nave profectus in boream navigando, cum promontorium Kialarneſiam ſuperaſſet, curvato paulum in occidentem curſu, oras terræ ſiniſtræ objacen-

jacentis legit, perpetuas ſolitudines, nec ullibi cultis interſectas, donec oſtium fluvii ab ortu in occidentem delapſi ingresſus idoneam navi ſtationem reperit.

CAP. XIV.

De cæde Thorvaldi Eirici Rufi filii, ab unipede qvodam perpetrata, Karlsefnii in Straumsfiordo per tertiam hyemem manſione, nativitate Snorrii ejus filii, captivitate duorum Skrælingorum, Biarnii Grimolfini periculoſa navigatione in oceano Hibernico, & ejus adverſus Islandum qvendam in ſum-

ſummo vitæ diſcrimine integritate, reditu Karlsefnii in Islandiam, ejusqve progenie.

Mane qvodam ſupra litus, vivum qvid ſe commovens aſpectui ſe obtulit; qvod cum voce inclamasſent, repente unipes exortus ad ripam amnis, ad qvam navis ſtabat ſe, proripuit, illicoqve ſagittam iliis Thorvaldi Eiricii infixit; qvam cum extraxiſſet, conſpecta adipe, fæcundam qvidem, inqviebat, terram adepti ſumus, cujus nobis uſus tantum non interdicitur; ex eo vulnere paulo poſt deceſſit. Karlsefnius cum ſociis unipedem in aqvilonem celeri curſu tendentem perſecutus, interdum oculis defigebat, qvousqve in ſinum qvendam præceps ruit, id qvod qvidam eorum carmine, hodieqve ſuperſtite, complexus eſt. Inde in boream navigantes, unipedum patriam in conſpectu habere ſibi videbantur, nec ulterius ex uſu periclitandum,

dum, Montes autem ex Vinlandiæ ſtatione, qvam Hoop appellarunt, procedentes, his ipſis montibus ubi verſabantur perpetua congerie continuari in medio Straumsfiordum pari hinc & Hoopo diſtantia diremptum colligebant. Tertia deinde hyeme in Straumsfiordo (qvo ventis repulſi videntur) exacta, ubi periculoſa de uſu fœminarum, qvem promiſcuum cælibes qvoqve poſcebant, publicando, controverſia exorta eſt. Primo autumno Snorrius Karlsefnii filius ibi natus, trimus è Vinlandia ſolvit. Inde auſtro carbaſa percutiente in Marclandiam devenerunt, ubi Skrælingouum qvinqve, unusqve inter eos barbatus, binæ fœminæ, totidemqve pueri inventi, cæteris elapſis terræqve ſe immergentibus (ubi luſtra forte habuerunt) pueri comprehenſi ſunt. Mox abducti, linqvamqve Gronlandicam edocti, deinde ſacris Chriſtianorum initiati, matrem ſuam Vetthildem, patrem Vægium nominarunt. Duos Reges Skrælingis præeſſe referebant, nomen alteri Avalldaînna, alteri Valldidida, nullas ibi domos, antra ſpeluncasqve earum vicem ſupple-
re,

re, aliam regionem suæ oppositam, qvam albas vestes induti incolerent, viri clangore terribiles, qvibus hastæ præferrentur, unde panni dependerent. Hvitra manna land sev Alborum terram vel magnam Irlandiam describi creditum est. Biarnium Grimolfinum tempestas in oceanum Hibernicum abripuit, cum infestum vermibus mare, arrosam perforatamqve navem exantlantium labores votaqve frustratum adeo implevit, ut sensim fluctibus immergi cœperit. Erat illis scapha illita pice, qvæ ex phocarum liqvamine conficitur, idgenus navigia vermes nunqvam penetrant (seltioru vocant) Hæc cum dimediæ tantum nautarum parti vehendæ sufficeret, nec esset omnibus evadendi copia, Biarnius forte legi jussit, sine ullius stationis respectu, qvi scaphæ imponerentur; nullus autem tam æqvo postulato se opposuit. Inter alios Sors etiam ei favebat, scapham ingressum Islandus qvidam in nave sorte relictus inclamavit: Me ne hic inqvit derelinqves? Biarnius fortis judicio id fieri respondit.

Atqvi

Atqvi reſpondit ille patri meo in Islandia promiſiſti eandem nobis fortunam futuram. Eſto, reſpondit Biarnius, qvandoqvidem vitæ tanto deſiderio teneris, ſcapham ingredere, tibi enim libenter cedam. Atqve ita in navem rediens, uſuræ vitæ fidem integritatemqve prætulit, cujus jacturam, qvam præſentiſſimam, oculisqve obverſantem mortem longe magis exhorruit. Lembunculus Dublinum celebrem Hiberniæ urbem cum ſociis incolumis pervenit. Biarnium autem cum cæteris undis abſorptum omnes exiſtimant, neqve enim qvicqvam ulterius de eo conſtat. Vitam divinitus conceſſam, qvo jure prodegerit, non diſputo, fidei certe, qvam etiam, ſi fortis beneficio uſus eſſet, neqvaqvam temeraſſet, rarum & ad omnem poſteritatem memorabile exemplum reliqvit. Æſtate qvæ ſecuta eſt Karlsefnius in Islandiam cum uxore ſua transfretaſſe traditur, inqve prædium Reinarneſiam ad matrem ſuam ſe contuliſſe. Haukus nomophylax vel ſupremus Islandiæ circa annum MCCXCIV. judex qvi

li-

librum, unde hæc decerpta ſunt, Hauks boc ſev Hauki librum de nomine ſuo ita dictum, ex ſcriptis Gunnlaugi Monachi, qvi anno M CCXIX deceſſit, compluribusqve aliis antiqvitatibus, tam ethnicis qvam Chriſtianis, collegit, majores ſuos, ultra qvâm Codex Flat: habet à Thorfinno Karlsefnio, hoc ordine numerat: Snorrius filius ejus filiam procreavit Steinvorem, Einaris de prædio Grund, Ketillis nepotis, Thorvaldi Kroki pronepotis, Thoreris de prædio Eſpishol abnepotis, uxorem, ex qva filium genuit Thorſteinum Ranglatum ſev iniqvum dictum, patrem Gudrunæ, uxoris Jorundi, de prædio Kelldum. Eorum filia Halla Floſium genuit, illius filia Valgerdis mater Erlendi robuſti Nomophylacis, hujus Hauki Nomophylacis patris, qvi à Karlsefnio nonus eſt, Floſii, qvi ordine ſextus eſt, filia fuit Thordiſis, Matris Ingibiorgis Divitis dictæ, cujus filia fuit Hallbera monaſterii Reineneſenſis Abbadiſſa. Plures etiam aliæ præclaræ in Islandia familiæ, à Karlsefnio & Gudride deſcendiſſe traduntur. Atq; hæc ſunt, qvæ

 de

de Vinlandia Antiqvitates tradunt, multum licet à ſe invicem diſcrepantia, qvibus examinandis ſuperſedeo.

CAP. XV.

Adami Bremenſis relatio de Vinlandia his cohærens, ſed in ſitu magna hallucinatio, qvam Olaus Rudbeccius ad Finnlandiam haut felicius retulit, relatio de ſitu Irlandiæ Magnæ, Arioqve Islando & pice Grønlandorum.

„ Præterea (inqvit Bremenſis) unam
„ adhuc inſulam recitavit (Rex ſcil:
„ Daniæ Svenus Eſtritius) à multis
„ repertam in illo oceano (qvi Norvegi-
„ am aut etiam Finnmarkiam lambit)
„ qvæ dicitur Winland, eo qvod ibi vi-
„ tes ſponte naſcantur, nam & fruges ibi
non

non ſeminatas abundare, non fabulo- „
ſa opinione, ſed certa Danorum com- „
perimus relatione. Hæc cum iis, qvæ „
tradidimus, collata evincunt famam
hanc de Vinlandia illo tempore haut
vanam viſam, ſed experientia, idone-
orumqve virorum teſtimoniis ſuffultam
fidem indubitatam meruiſſe: vixit
enim Adamus Bremenſis, qvi hæc ſcri-
pſit, tempore Haraldi Imperioſi Norve-
giæ Regis. Ille autem regnare cæpit,
anno qvadrageſimo ſexto, aut etiam
qvinto, à viſa primum ſed poſterius
culta Vinlandia, de qvo ſeqventia huic
relationi ſubjungit. Poſt qvam inſu- „
lam (egit autem de Vinlandia) terra „
nulla invenitur habitabilis in illo oce- „
ano, ſed omnia, qvæ ultra ſunt, glacie „
intolerabili ac caligine immenſa plena „
ſunt, cujus rei Marcianus ita meminit; „
ultra Thyle inqviens navigare unius „
diei mare concretum eſt. Tentavit „
hoc nuper experientiſſimus Nordman- „
norum Princeps Haraldus, qvi latitu- „
dinem ſeptentrionalis oceani perſcruta- „
tus navibus, tandem caligantibus ante „

„ ora deficientis mundi finibus, immane
„ abyssi baratrum retroactis vestigiis vix
„ salvus evasit. Olaus Rudbeccius Atlanticæ cap: VII. paragr: 8. pag: 291. de his ita scribit. „ Tale inqvit aliqvid sine o-
„ mni dubio Adamo Bremensi qvondam
„ persvaserat, insulam esse in ultimo Se-
„ ptemtrione sitam, mari glaciali vicinam
„ vini feracem & ea propter fide tamen
„ Danorum Vinlandiam dictam, prout
„ ipse de situ Daniæ pag: m: 37. fateri
„ non dubitat; sed deceptum eum hac si-
„ ve Danorum fide sive credulitate sua pla-
„ num facit affine isti vocabulum Finn-
„ landiæ provinciæ ad regnum nostrum
„ pertinentis, pro qvo apud Snorronem
„ & in hist: Regum non semel occurrit
„ Vinlandiæ nomen, cujus promontori-
„ rium ad ultimum septentrionem, &
„ usqve ad mare glaciale sese extendit.
Vinlandiæ nomine Finnlandiam intellexisse Adamum Bremensem existimat, zythumqve pro vino intellexisse, cum tamen potus ille Finnlandis cum gentibus aliis septentrionalibus communis sit, maleqve ad uvas & vites extendatur,

tur, qvas illic ſponte naſci exiſtimat. Nec ut putat eum hic à Danis deceptum, ex iis qvæ retulimus planum eſt. Ubi vero apud Snorronem & in Hiſtoriis Regum Vinlandiæ nomen occurrat, mihi adhuc nusqvam viſum eſt.

De Irlandia autem illa magna, qvam Alborum regionem appellarunt ſev Albaniam veteres, tradunt origines Islandiæ, qvod ab Irlandia ſev Hibernia ſpatio, qvod tridui navigatione occidentem verſus emetiri qveas, diſterminetur. Eo Arium Maris filium Ulfi Skialgi, qvi primus tractum Reykianeſenſem in occidentali Islandiæ qvadrante occupavit, nepotem tempeſtate depulſum idem liber tradit, ubi Chriſtianis ſacris initiatus fuerit, nec poſtea inde dimiſſus, bene tamen & magno in honore habitus. Hrafnus Limericipeta dictus à crebris in urbem Hiberniæ Limericum navigationibus hæc in Islandiam primus retulit, id qvod Thorkell Geiteris filius, relatu Thorfinni Orcadum Comitis, poſtea traditum, confirmabat. Hic Arius, Thorhildis (qvam alii Thiod-

 hil-

hildem appellant) Eirici Rufi Gronlandiæ inventoris, uxoris patruelis fuit. Jorundus enim Ulfi Skialgi filius alter, Marisqve frater ex uxore Thorbiorge Knarrarbringa dicta, Thorhildem hanc procreavit. Ulfi Skialgi genus â Hiórleifo Mulieroso Hordiæ Rege in ejus vita deductum retulimus. Pix è phocarum liqvamine solis Gronlandis in usu traditur, oleum è pingvedine coctum, utriqve pelleo impositum suspendunt in sublime, sicantqve donec concrescat, exinde denigrant, navesqve inungunt. Hunc modum Biornus de Skardza descripsit, mihi verosimilius videtur, ni aliud admisceatur, dilui posse.

Cap. XVI.

De Jone Episcopo Saxonico & Eirico Gronlandiæ antistite in Vinlandiam profectis, ut & de Gudleifo Gunnlaugi filio.

Ap-

Appendix ad Landnamam tradit Jonem ſev Johannem Epiſcopum Saxonicum (qvem liber Hungrvaka, qvi de Epiſcopis Islandiæ ſcriptus eſt, Irlandum ſev Hibernum aſſeverat) primo in Islandia fidem Chriſtianam per qvadriennium profeſſum, inde in Vinlandiam ad gentem illam convertendam profectum, proſtremo ſupplicio ibi morteqve confeſſionem ſuam illuſtraſſe.

Anno MCXXI. Eiricus Epiſcopus Gronlandiæ Vinlandiam inqviſivit, ejus genus liber originum Islandiæ à primis Islandiæ Aboriginibus repetit parte prima de generali occupatione cap. XIII. pag: 15. Eiricum patre Gnupo, Gnupum Birningo, Berningum Gnupo, Gnupum Grimkele, Grimkelem Biorno cognomento Gullbera ſev aurifero, qvi auſtralem Reykiadalum tractus auſtralis Islandiæ primus occupavit. Grimkelis uxor fuit Signya Valthiofi filia, qvi diſtrictum totum Kios dictum occupavit, ejus pater Aurligus, qvi magnam Kialar neſiæ partem occupavit; pater illi Hrappus

Ketillis Flat nefi ſev ſimi filius Biorni Bunæ nepos. Neſcio an ad hanc Vinlandiam aut incertam aliam Americæ partem referenda ſit terra illa, ad qvam hiſtoria Eyrbyggenſium memorat Gudleifum Gunnlaugi filium, de provincia occiduæ Islandiæ qvartæ, Straumfiordo, affecta Sancti Olafi ætate, Dublino Hiberniæ oppido ſolventem, in reditu ad Islandiam Evris aqvilonibusqve pulſum in magnum inciðiſſe periculum vel vitæ vel perpetuæ ſervitutis, poſtqvam longo tempore per occidentalem oceanum omnium terrarum ignari erraſſent. Tum vero ex inopinato terra ſpatioſa conſpecta, feſſos laboribus, longaqve maris nauſea langventes nautas, refocillationis ſpe facile in tutum portum allexit, cum incolæ centuriatim exorti, omnes eos nave extractos in vincula compegerunt: lingva illis, Norvegis ignota, qvæ tamen ad Irlandicam proxime accedere iis viſa eſt. Conſultatum deinde inter cives, aliis neci, aliis ſervituti ſe adjudicantibus, colligebant, donec ſenex qvidam, ſtatura procera, canicie

vene-

veneranda magno cum comitatu, ſigno prælato, adeqvitans, tanqvam princeps ſumma obſervatione excipitur, ad qvem mox conſultantium ſententiæ deferuntur; qvi advocatos nautas Danica lingva affatus, qværit, unde venerint: Cognito deinde plurimos eorum Islandos eſſe Gudleifum ſciſcitatur, è qva Islandiæ provincia? qvo Borgarfiordum profitente, ſingulorum procerum ſtatum conditionemqvi exqvirit, exſpatiatusqve latius, de Snorrio Curione, ejus ſorore Thuride filioqve illius Kiartano interrogat. Populo deinde interpellante, ut certi qvid de nave decidatur, delectis duodecim viris in concilium regreditur, poſtqve longiorem moram Gudleifum his verbis alloqvitur. Cauſſam veſtram apud cives egi, qvi in gratiam imputant, qvod arbitrio meo vos permiſerint, itaqve vobis diſcedendi veniam concedo: Imo qvantumvis affecta æſtate, ut qvam primum hinc ſolvatis, ſvadeo hortorqve, nam populus hic intractabilis eſt & fluxæ fidei, jamqve propter violatas leges exaſperabitur. Tum Gudleifus; Qvid, inqvit in patriam referam,

ram, qvem libertatis noſtræ aſſertorem profitebor? Id reſpondit, nihil attinet ſcire, nolo enim amicos meos & conſangvineos deſiderio mei huc allici, ne forte eadem illos fortuna maneat, qvam vos experturi fuiſſetis, ni ego interveniſſem. Jam vero ea ætate ſum, ut in ſingulas horas mors immineat, qvæ ſi vel maxime differatur, ſunt tamen procul in hac terra alii me potentiores, qvi peregrinos neqvaqvam pacificè dimittent. Manſit deinde apud eos donec ſecundus ventus aſpiraret; diſcedentiqve Gudleifo annulum aureum & gladium tradidit, illum Thuridi, Snorrii Curionis ſorori, hunc filio illius Kiartano, qvi à morte patris prædium Froda incoluit, deferendum. Qværenti à qvo hæc miſſa referre debeat, ab eo reſpondit, cui carior erat ſoror Curionis Helgafellenſis, qvam ipſe Curio fuerat. Qvod ſi qvis hinc colligere ſibi videatur, qvinam ſim, hæc tu mea verba iterum referas, qvod prohibeam, ne qvis huc iter dirigat, eſt enim terra magnam partem importuoſa, populusqve in peregrinos ubicunqve appulerint hoſtis, ni

for-

forte eos, uti vos fortuna, huc deduxerit. Gudleifus navem portu molitus eodem autumno Dublinum, unde egressus erat, pervenit, ibiqve hyemavit. Perspicuum est, virum istum fuisse Biornum Breidvikingensium athletam appellatum, qvem sub Palnatokio deinde Stirbiorne Sveciæ principe, iterumqve post ejus cædem, Palnatokio memorata historia meruisse tradit, licet annos solenni Islandorum scriptorum vitio haut satis apte digerat. Hic Thuridem hanc juvenis adamavit, atqve ea propter à fratre ad necem qvæsitus, cum astum ejus fortiter elusisset, precibus se exorari passus est, ut patria excederet; qvo vero pervenerit navis illa, qva vectus erat, nemini deinde constitit, prius qvam cognitum est, illum huc delatum fuisse, sed qvomodo hoc contigerit, nunqvam deinceps exploratum est. Partem aliqvam Americæ, terram hanc fuisse, venti, qveis usus est Gudleifus, navigationis cursus & exitus reditusqve in Hiberniam persvadent. Sed qvoniam cap: VIII. prodigiorum Frodarensium men-

mentio facta est, mulierisqve Hæbudensis, ex qva Leifus Fortunatus filium suscepisse Libro, qvem Biornus de Skardza secutus est, perperam memoratur, jamqve ad eandem villam, ubi hæc accidisse memorantur, eosdem homines in qvos inciderunt pervenerimus, par est ut ea ex Eyrbyggensium historia descripta, his coronidis loco apponamus.

CAP. XVII.
De prodigiis Frodarensibus.

Primo imperii Comitum Eirici & Sveni Haconis Hladarum Comitis filiorum anno, prodigia in prædio occidentalis Islandiæ qvadrantis Froda dicto hæc notata sunt, qvorum caussam principiaqve ordine ennarrabo. Inhabitabat illud vir opulentus nomine Thoroddus, cognomento Skattkaupandi sev tributorum emptor. Naufragis enim Orcadensibus ad Hiberniæ litora periclitantibus, tributaqve ex Hæbudis & Mona Comiti Sigur-

Sigurdo aſportantibus circa annum CMLXXX ſcapham ſuam parte tributorum vendidit, ut à nobis in Hiſtoria Orcadenſi cap: X. memoratum eſt. Hujus uxor fuit Thuridis, Snorrii illius celeberrimi Curionis Helgafellenſis ſoror, cujus maxima in illa inſulæ parte auctoritas habebatur. Hic fæminam nomine Thorgunnam eadem æſtate Dublino venientem invitatam ab uxore ſua, illecta ſpe cimeliorum, qvæ multa magniqve pretii peregrina poſſederat, potiundi domo receperat. In Hæbudis hæc mulier nata erat, qvinqvagenariâ id temporis major; neqve tamen hoſpitium prætio magno rependere, nec, qvæ ei auro contra cara, vel maximo pretio vendere, qvantumvis dominæ precibus fatigata ſuſtinuit; labore victum ſed nec illo ſordido redempturam ſe affirmabat. His conditionibus hoſpitio excepta eſt. Lectum ſibi decretum ſtragulis veſtibusqve tam protioſis inſtravit, ut nihil ejus generis pretioſius ibi viſum fuerit. Hac magis cupidine eorum Thuridis accenſa, pretium ingens Thorgunnæ ſed fruſtra obtulit, neqve enim

enim ſe ejus, qvantumvis decoræ matronæ, gratia humi cubituram reſpondit. Textriles operas, qvoties fæno ſiccando tempeſtas non affulſit, tractabat, alias raſtro proprio uſa fæno operam dedit. Statura erat procera, cui craſſities reſpondebat, facie ſubfuſca, oculis magnis, comâ etiam fuſcâ promiſſaqve, moribus decentibus. Erat in eadem domo Thorer qvidam Vidleggus, cum uxore ſua Thorgrima Galdrakinn ſev venefica gena dicta, ſumptibus domini jure propinqvitatis, ut credo etiam tunc uſu recepto, ſuſtentandus. Hæ mulieres ſemper inter ſe diffidebant. Kiartanus juvenis maxime Thorgunnæ peregrinæ affectu, licet haut reciproco, placebat, angebat ipſam ſe ei haut pari modo probari. Æſtatem pluvioſam, autumnus ſiccus ſeqvebatur. Sudum erat cœlum, ne nebula qvidem diſtinctum, cum omnes fæno colligendo intenti, operas qvisqve ſuas à domino injunctas obirent. Thorgunnæ tantum fæni eo die ſiccandum, inqve manipulos congerendum deputabatur, qvantum bovi per integram hyemem

mem pascendo sufficeret. Hora prima pomeridiana nebula ex aqvilone subito exorta, supra domum Thoroddi prædiumqve Froda ferebatur. Inde tantus imber decidit, ut fænum omne, qvod in manipulos congestum non erat, penetraret, cœlumqve adeo obscurum redditum est, ut se operarii invicem non conspicerent, ut vero nubes præterivit, conspectum est sangvine duntaxat pluisse. Exinde serenabat, sangvisqve omnis in fænum delapsus, præterqvam qvi in operas Thorgunnæ, siccabatur, nec qvi rastrum, qvod tenuit, vestesve ejus illivit, detergi poterat. Thoroddus, qvid prodigium illud denotaret, cum ab ea qværeret, negabat sibi constare, tantum autumare, mortem alicujus, qvi eum attingereret. Eodem vespere domum digressa, vestibus sangvine madentibus depositis, lectum petivit, ingeminans, animadversum morbo detineri, nullum eo vespere cibum capere volebat; mane autem posterioris diei Thoroddus eam accessit, qvæsivitqve, qvid de morbi eventu

ru præſagiret. Illa non ultra morbo ſe laboraturam reſpondit, hunc enim ultimum futurum. Eum autem omnium eo prædio ſapientiſſimum ſibi videri, ideoqve admonere, ut poſt mortem ſuam res à ſe poſſeſſas relictasqve, ſecundum teſtamentum ſuum ſeu ultimam voluntatem ordinet; qvod ſi violaretur valde verendum, ne qvod conſpectum eſſet prodigium plura ſeqverentur. Is autem præſagam qvidem illam ſe agnoſcere, nec mandata ejus ſupremamqve diſpoſitionem transgreſſurum pollicebatur. Funus meum reſpondit, Skalholtum deferri jubeo, ubi locum inſulæ hujus præſtantisſimum longo tempore futurum auguror, ſpero enim ibi miniſtros Evangelii, qvi juſta mihi ſacro ritu ſolvant, jamjam congregatos, præmium laborum ſumptuumqve, qvos in id impendis, de meis rebus qvantum decerno, qvoqve contentus eſſe poteris, præcipies, decerpetqve uxor tua pallam meam coccineam de indiviſo, qvod ideo ſic diſpono, ut æqvo animo ferat, qvicqvid de cæteris diſpono. Annulum

nulum meum ædes Skalholtina ſepulturæ pretium habebit; tapeta autem lecti, perizomataqve mea; apparatumqve omnem igne comburi præcipio, neqve enim ulli uſui futurum prævideo, neqve tamen hæc eo animo facio, qvod invideam hominibus res meas poſſidendas, ſed qvod tot incommodis malisqve homines mea cauſſa affici obruiqve nolim, qvot ſecutura prævideo, ſi præſcripta mea qvis exceſſerit. Thoroddus iterum promiſſa priora dictis confirmavit. Exinde morbus intendi cæpit, qvi & eam poſt paucorum dierum intervallum exanimavit; loculo funus impoſitum, poſtero die templo illatum eſt. Tum Thoroddus apparatum omnem lecti foras efferri mandavit, focumqve incendi, in qvem conjiceretur. Id videns uxor negabat tam pretioſas res corrumpendas, neqve enim anilia iſtius mandata tanti eſſe, ut harum jacturam eorum metu facere velit, admixtisqve precibus, tanta contentione veſtium patrocinium ſuſcepit, ut perizomata omnia, ſtragulaqve incendio liberaret, cervicalibus culcitrisqve & pulvi-

ninaribus in ignem tantum conjectis; nec tamen uxori hac indulgentia satisfactum est, is licet nimiam impendisse ægre ferret. Funebris deinde apparatus institutus, sandapilariiqve feretro admoti, viriqve melioris notæ ad id delecti, eqvi etiam, longa enim via per multa milliaria emetienda erat, lineæ vestes cadaveri impositæ, non autem assutæ fuerunt; recta per solitudines transitum est, nec memoratu dignum qvicqvam notatum, prius qvam prædium Valbiarnarvallas superassent, ibi limus longa pluvia emaceratus impeditum iter reddidit, ægre fluvium Nordra dictum in Vado Eyensi trajecerant; erat enim fluentis, qvæ recipit, longo imbre stagnantibus repletus, vixqve ac ne vix qvidem penetrabilis. In prædium Nes dictum, situm in tractu Statholztungis longo labore fessi, qvodam vespere pervenerunt; ibi hospitium cum negaretur, nec tamen longius intendentibus se tenebris contendere sufficerent, depositis oneribus, funus domui segregi intulerunt. Ipsi triclinium ingressi, jejuni noctem transfigere destinabant, domestici

ſtici cum cubitum iviſſent, in penuario audiverunt ſonum qvaſi hominis ambulantis; fures exiſtimantes accurrebant, apertisqve foribus, mulierem ibi ſtatura magna, nudamqve, nec ulla ex parte tectam cibum depromentem conſpexerunt; territi igitur, propius accedere non audebant, ad ſandapilarios itaqve accedentes, qvæ viderant, exponunt, qvi cum eò accurriſſent, Thorgunnam ibi, cujus funus ferebant, agnoverunt, neqve ejus rebus ſe ingerere tutum credebant. Hæc cum cibum pro arbitrio extuliſſet, triclinio eum intulit, menſæqve apponebat. Tum ſandapilarii ad hoſpitem: pænitebit forſitan te negati nobis cibi, hoſpitalisqve humanitatis. Tum hoſpes ſimul cum uxore, & cibum & omnia, qvibus indigerent, paratiſſima futura reſpondit. Qvo dictô Thorgunna triclinio egreſſa, non illic amplius apparuit, hoſpites autem triclinium ingreſſi uvidas veſtes depoſuerunt, aridisqve commutarunt; cibum autem, qvem Thorgunna appoſuerat, cum ſigno crucis mu-

 nivis-

nivissent, absqve hæsitatione, ulloqve sui damno ceperunt; ibiqve exacta nocte, cæptum iter seqvente die repetentes, ubicunqve pervenerunt, facti hujus famam circumferentes, omnia, qvæ expetiverant, impetrarunt, nullo qvicqvam eorum, qvibus indigerent, denegare auso. Skalholtum tandem perventum est, annulusqve reliqvaqve à Thorgunna deputata cimelia sacerdotibus deprompta, aqve iis alacriter recepta sunt, funusqve terræ jam consecratæ mandatum, Sandapilariiqve domum qvisq; suam absqve nocumento feliciter pervenerunt.

In prædio Froda culina ingens stabat, inde ingressus in cubile, lectis ex utroqve latere clausis, constans patebat. Istæ namqve domus more illius seculi continentes erant; à foribus autem culinæ domunculæ duæ procedebant, singulæ à singulis lateribus, pisces arefacti aliâ, vasa autem farre referta aliâ servabantur. Singulis vesperis focus elixandis cibis incensus est, ad qvem considere solebant, prius-

priusqvam cænatum irent. Veſpere, autem, qvo Sandapilarii redibant, dum ad focum ſederent, in pariete culinæ luna magna conſpiciebatur, qvæ ſiniſtrorſum per culinam movebatur, nec qvoad in culina eſſent receſſit; omnibus hæc pariter apparuit. Thoroddus hoſpes Thorerem Vidleggum rogavit, qvid prodigium denotaret? vidarmana vocari reſpondit (id qvod arborea luna explicatur) morteſqve denotare. Continuam hebdomadam hoc oſtentum tenuit, deinde opilio domum regreſſus præter morem paucilo-qvus ſolitoqve auſterior in aliqvid monſtrum incidiſſe conjecturabatur, ſolus enim incedebat, ſecumqve loqvebatur; tenuit id, qvoad duæ initiales ſeptimanæ hyemales exceſſiſſent, tum demum cum rediiſſet, lectum petivit, luceqve proxima mortuus inventus eſt, deinde ad templum ſepultus poſtea vivos infeſtabat; nam cum Thorer Vidleggus lecto nocte qvadam exſurgens, foras procederet, opilionem præ foribus rediturus animadvertit, ingreſſu ſe interclufurum, fugam

gam ergo intendens à perſeqvente paſtore corripitur, magnoqve caſu ad foras proſternitur. Inde lectum petens, malè affectus diu decubuit, donec moreretur ad templumqve ſepultus eſt: poſtea opilioni ſociatus, una cum illo incedere viſus eſt. Deinde domeſticus qvidam Thoroddi, poſtqvam tres noctes decubuiſſet, in fata ceſſit. Jam jejunium feſtum Natalitiorum Domini præcedens, qvod à Dominica adventus initium ſumit, appropinqvabat, licet id temporis in Islandia non celebratum, cum ſex ex eadem domo mortui eſſent; qvodam veſpere acervus aridorum piſcium lacerari audiebatur, inſpectus autem integer apparuit. Poſt feſtum Jolenſe Thoroddus qvinqve domeſticis comitatus ad deferendos domum piſces navi magna vectus eſt: eodem autem veſpere in culina Frodaenſi, è pavimento phocæ caput emergere viſum eſt, qvod cum domeſtica qvædam vidiſſet, lignum qvoddam capiti ejus impegit, ad ſingulos autem ictus magis emergebat, inqve Thorgunnæ lectum

ctum, qvem perizomata operiebant, oculos contorſit, mercenariorum autem unus crebris verberibus phocam impetebat, magis autem emerſit, qvoad brachia extendiſſet, eodem momento mercenarius exſtaſi correptus decidit, ſingulos autem metus ingens inceſſit, tandem Kiartanus juvenis magnô verbere eam feriebat. Illa autem caput qvaſſans, oculos ultro citroqve torſit; ſine intermiſſione deinde verbera inflixit, ad ſingula autem deprimebatur, moribundæqve ſpeciem præbebat, donec prorſus ſuffocaretur, Kiartanusqve terram ſupra caput ejus compingeret. Omnia hæc monſtra Kiartanum maxime timere videbantur. Seqventi die Thoroddus cum ſociis ad locum Enne dictum undis ſubmerſus periit, navisqve cum piſcibus ad litus allidebatur, cadavera autem non inveniebantur. Hæc cum domum nunciata eſſent, Kiartanus cum matre amicos ad exeqviale convivium invitabat, apparatus is Jolenſi feſto deſtinatus erat, jam in parentalia verſus, primo convivii veſpe-

 re,

re, cum convivæ ſedes qvisqve ſuas occupaſſent, Thoroddus cum ſociis humidis ſingulis ad eos ingreſſus eſt. Bonum illud omen habebatur, nam convivæ hoſpitaliter excipi exiſtimabantur, qvoties ii, qvi undis ſubmerſi eſſent, ad juſta ſibi celebrata accederent, remanebat namqve id temporis pars magna ethnicæ ſuperſtitionis, licet eſſent Chriſtiani, baptiſmiqve ſacris initiati. Thoroddus cum ſuis triclinium emenſus ad culinam tendebat, nullius ſalutione admiſſa; ad focum deniqve ſe omnes collocabant, domeſticis ſingulis aufugentibus, ibi mortui hi, qvoad ignis cineribus obduceretur, remanſerunt, deinde exceſſerunt. Qvolibet veſpere dum convivium duraret, hæc procedebant, exiſtimabant autem convivæ finitô convivio prodigia hæc deſitura: verum longe aliter evenit, nam iis abſcedentibus cum domeſtici pro more focum accenderent, Thoroddus cum ſociis ad focum conſidebat, erant enim omnes uvidi, manibusqve aqvam veſtibus exprimebant, iis autem con-

confidentibus, Thorer Vidleggus ex oppoſito cum ſuis ſociis pulverulentis omnibus, numero totidem ſe collocabat, veſtibusqve qvaſſatis, pulverem in Thoroddum ejusqve ſodales excutiebat. Domeſtici autem omnes eo veſpere ſedibus ſuis depulſi, nec luminis ullum habuerunt. Alia domo veſpere ſeqvente ignis accenſus eſt, eo enim non venturos ſperabant, verum eodem qvo antea tenore ſe gerebant. Tertio veſpere, auctore Kiartano, oblongus focus in culina inſtructus eſt, ignisqve ſuccenſus: in parva autem domo cibaria cocta ſunt; id autem profuit, neqve enim domeſtici tunc inqvietabantur. Thoroddus autem cum ſuis culinam occupabat. In acervo piſcium piſces deſqvamari per noctes audiebantur, aſcenſo igitur acervo prominens ibi cauda ambuſta vitulinæ inſtar, nigraqve conſpiciebatur, qvem qvidam inſiliens corripuit eamqꝫ ad ſe trahere nitebatur, aliosqve ad idem faciendum inclamabat, omnes utriusqve ſexus domeſtici eam attrahendam concurrebant, ve-

rum ne loco qvidem se dimoveri patiebatur, mortuaqve visa est; cum autem vires maxime intenderent, elapsa subito è manibus eorum volas eorum cute nudavit, exinde nulla istius vestigia apparuerunt, ut autem piscium acervum destruebant, singulos desqvamatos deprehenderunt. His peractis Thorgrima Galdrakinn sev venefica gena morbo subito correpta decessit, sita autem in collegio mariti sui conspiciebatur. Et jam morbus secundo renovabatur, postqvam cauda apparuit, pluresqve fœminæ qvam mares obibant. Sex eorum morbus simul abripuit, alios autem mortui domo exigebant. Ex triginta familiaribus domesticis, qvi proximo autumno vivebant, septem mense Goa (cujus pars Februario, pars Martio respondit) residui erant. Hoc rerum statu Kiartanus ad avunculum suum Snorrium Curionem profectus consilia ejus exqvirit. Is sacerdotem sibi à Gissure Albo missum cum Thordo Kausio filio suo sex aliis comitato cum Kiartano ablegavit, svasitqve, ut

ut perizomata veſtesqve omnes lecti Thorgunnæ incenderent, omnes autem mortuos vivis infeſtos ad judicium citari, ſacerdotem autem ut ſacra peragere, aqvam conſecrare, domeſticos à peccatis abſolvere dignaretur, rogavit. Veſpere qvi præceſſit feſtum Purificationis Divæ Virginis in Frodam perventum eſt, viciniqve in via collecti, inqve comitatum adſciti; ſub eorum adventum focus cibis coqvendis incenſus erat. Thuridem villæ dominam morbus tunc invaſerat ejus generis, qvo reliqvi perierant. Kiartanus culinam ingreſſus, carbones foco exemit, ibi patrem Thoroddum more ſuo, cum ſodalitio foco aſſidentem perſpexit, egreſſus lectum apparatumqve omnem Thorgunnæ diruit, veſtesqve & ornamenta omnia igne cremavit; mox Thorerem Vidleggum, Thordus autem Kaufius Thoroddum in jus vocavit, qvod absqve permiſſu alienam domum invaſerint, hominesqve & vita & viribus orbasſent. Citabantur deinde omnes, qvi ad focos ſedebant; judices deinde præ foribus

bus constituti omnisqve actio ut in foro judiciali instituta, testes probationesqve productæ, inqve judicio repetitæ, sententiaqve definitiva lata. Qvo peracto Thorer Vidleggus exsurgens dixit: Hic permansi, qvoad licuit; perqve eas fores egressus est, ubi judicium constitutum non erat. Mox in opilionis caussa sententia pronunciata, qvam cum audivisset exsurgens dixit: Exibo nunc, credo etiam oportuisse prius. Thorgrima autem Galdrakinn sententia sua audita: Sedimus dum poteramus, respondit; atqve hoc dicto egressa est. Singuli hoc modo lite pulsati sunt, postqvam aliqvid elocuti essent, egrediebantur, inviti tamen, ut eorum verba manifestabant. Postremus Thoroddus prædii dominus judicio condemnatus est, sententiâqve auditâ, surgens: Pauci,inqviebat,reliqvi sunt; omnes fugiamus. Atqve ita ultimus domo egressus est. Deinde Kiartanus cum reliqvis domum ingressi sunt, sacerdos autem lustrali aqva singulas domus partes aspersit, seqventiqve die missam ibi sacraqve

qve celebravit, nec poſtea mortui illos amplius infeſtarunt, Thuridisqve domina è morbo convaluit. Hic diaboli præſtigias efficaciamqve in iis, qvi vel veræ religionis expertes ſunt, vel minus in fidei articulis informati, animadvertere licet: id enim tale in inſula illa, poſtqvam vera Evangelii lux oborta cives illuminavit, contigiſſe, nunqvam legimus.



ADDENDA.

pag. 7.

Qvod verteram, ſolem in Vinlandia circa ſolſtitia ad horam nonam oriri, tertiam occidere, id cur ita fecerim, reddam rationes: cùm autem aliæ poſtea occurrerent, qvæ mihi ſcrupulum circa hanc qvæſtionem moverant, utrasqve candido Lectori perpendendas relinqvam. Poſtqvam enim hæc Vinlandia typis impreſſa mihi reſtituta fuit, cœpi hæc iterum iterumqve diligentius examinare, eò qvod ſitus terræ cum fertilitate, qvæ hic deſcribitur, minus mihi convenire viſus eſt, præſertim poſtqvam verſio Svedica hiſtoriæ Regum Septentrionalium Titulo Heimskringla, à Clariſſ: Johanne Peringskiold publicata, ad manus meas pervenit; locum enim hunc, Doctiſſimi Gudmundi Olavii interpretationem ſecutus, aliter transſtulit, cum uterqve, utpote interpretum regulis adſtricti, verba verbis reddituri aliter, qvàm ego, eum aſſecuti ſunt, nec tamen authoris ſenſum magis collinearunt, qvi licet latitudinem terræ ad nullum certum

lineæ æqvinoctialis gradum referat, ex ortu tamen & occaſu brumali haud obſcurè colligendum reliqvit, reliqviſſetqve accuratius, ſi diligentiùs deſcriptum accepiſſet, verbis qvidem perſpicuis, ut mihi videbatur, uſus eſt, qvæ editionis Svedicæ cap. CV. pag. 331. ita ſonant: Meira var þar jafndægri enn a Grænlandi eda Islandi, ſol hafdi þar eyktarſtad, og dagmalaſtad um Skammdeigi. Horum ſenſum Clariſſ. Arngrimus Jonas Gronlandiæ ſuæ cap. 9. his verbis enodat: Hyems ibidem nulla, aut frigus, aut bruma, qvalis in Islandia aut Gronlandia; ſole in ipſo ſolſtitio hiberno horas circiter ſex (ſciatericis enim deſtituebantur) ſupra horizontem commorante: qvem & ego longè prius, qvàm illam inſpexi, pariter aſſecutus ſum, primo ex informatione (ſi tamen illius mentem rectè accepi) Bryniolfi Svenonii, Epiſcoporum Skalholtinorum ad ſua usqve tempora omnis ætatis doctiſſimi, & ſine pari, ad qvem à Clementiſſimo Domino meo, Regum optimo, FRIDERICO TERTIO ad addiſcendam difficiliorum vocum phraſiumqve

ſiumqve antiqvarum genuinam ſignificationem, cum regiis literis Anno 1662 juvenis miſſus fui, deinde ex relatione ortus ſolis ad ejusdem occaſum, ut mox monſtrabitur. Jam Peringskioldi interpretationem excutiam. Dies qvoqve (inqvit) ibi longior, qvàm in Grönlandia aut Islandia, qvippe ſol ibi augmentorum ſpatia habebat, diurnumqve apparebat lumen circa jentaculi tempora (hora ſexta vel ſeptima) cùm breviſſimus eſſet dies. Nihil ex hac explicatione certi de ſitu terræ diſcimus. Impoſuit Peringskioldo vox eykt, qvæ trium horarum ſpatium vulgo denotat, alio autem ſenſu horam à meridie tertiam, qvæ alio nomine Non, indigitat. Priori ſenſu mentem authoris exportaturus nihil peculiare monſtravit; neqve enim ſoli magis ibi augmentorum ſpatia, qvàm alibi, competunt; nec de diurno lumine, id eſt, crepuſculo matutino, verbum hic ullum, ſed de ortu ſolis & occaſu agitur; nec ut puto jentaculi tempus Islandis ad horam ſextam vel ſeptimam in uſu, ſed ad horam ubiqve nonam, qvam Dagmal appellant. Ego

verba authoris hoc modo latinè verterem: Continuò ibi (in Vinlandia) brumales dies, qvàm in Gronlandia aut Islandia longiores, ſol ibi horam tertiam poſt meridiem, & nonam antemeridianam attigit: hic occaſus & ortus termini ita explicantur, ut ſi vel maximè vocabulum eykt poſteriori ſenſu ignoraretur, tamen ex connexione ortus cum hora nona antemeridiana & ſignificatione vocis Dagmal, qvod eam ſemper denotat, tum etiam ejusmodi ortus relatione ad occaſum, ejusqve connexione cum hora tertia, facilè poſſit erui.

Hæc qvoqve ex antiqva partitione diei naturalis inter Islandos recepta confirmantur: in octo enim partes diſtributa eſt, pro manſione ſolis in ſingulis. Nattmal enim appellant, dum ſol ad caurum, Lagnætte, dum ad ſeptentrionem, Otta, ſeu Rismal, id eſt aurora ſive ſurgendi tempus, dum ad cæciam, Midur morgun, dum ad evrum, Dagmal, dum ad vulturnum, Hadeigi, dum ad notum, Non, dum ad africum, Miduraftan, dum ad zephyrum moratur.

His

His confiſus rationibus, Vinlandiæ ſitum Eſtotilandiæ aptavi: verum cum proventus terræ illi cœlo minus convenire, iterum atqve iterum cogitavi, verſionem Svedicam cæpi accuratius examinare, inprimis in ſignificationem verbi Eykt diligentius inqvirere, ſuſpectans eam interpreti Sveco impoſuiſſe: cumqve in nullis eam lexicis, præter Gudmundi Andreæ, ibiqve tantum in priore ſenſu notatam animadverterem, antiqviſſimum Islandicæ gentis jus Eccleſiaſticum, titulo Kriſtinrettr, cæpi evolvere, ex cujus cap. IX verba ipſa adſcribam: Ver skulum hallda Laugardag enn ſiounda „ hvern nonhelgan, ſa er næſt Drottins- „ deigi firir, þa skal ei vinna upp frâ eykt, „ nema þat er nu man ec telia, þat a at „ vinna allt er drottinsdag a at vinna. þa „ er eykt er ut ſudrs ætt er deilld i „ þridiunga, og hefir Solinn geingna „ tvo luti, enn einn ogeingin. Hæc ita „ vertimus: Nos diem Sabbathi ſeptimum qvemqve ad Nonam ſacrum habebimus, is Dominicam proximè præ-

cedit, tunc ab hora eykt non] licet operari, nisi iis qvæ jam referam: tunc operandum est iis omnibus, qvæ dies Dominica exposcit. Eykt vocatur, cum plaga cœli inter meridiem & occidentem in trientes distribuitur, solqve duas partes confecit, tertia vero restat. Perspicuis verbis, scripseram, descriptionem Vinlandiæ hæc exposuisse, jam vero comperior relationem eam implicuisse, qvam præsens locus etiam impeditiorem fecit: vox enim Non tertiam horam pomeridianam & in Islandia & olim apud Anglosaxones denotabat, qvam vocem vel ab instituta Christiana religione, vel lata hac ipsa lege, omnis ætas in Norvegia probavit, hodieqve ad eam diebus Saturni feriantur, qvam præsens qvoqve locus illustrat, cùm sacra à Non incipere, & ab Eykt operibus vacare præcipit; inde qvidam colligere velit Non & Eykt esse synonyma, denotareqve horam toties memoratam. Qvantum verò ab hac sententia ipsissima ejusdem descriptio dissentiat, nemo non videt: spatium enim qvo sol à meri-

meridie in occidentem percurrit, ſex horas reqvirit, ex qvibus ſinguli trientes duas conſtituunt, bes definit in horam qvartam pomeridianam, per qvam ſi Eykt & Non intelligenda veniunt, ruit primo antiqviſſima receptiſſimaqve horarum diſtinctio, qvarum ſingulæ canonicarnm more tres vulgares horas complectuntur, ruit connexio cum hora Dagmal, qvæ antemeridianam nonam denotat; non enim conſiſtit, ſolem in ipſa bruma hora qvarta pomeridiana mergi, nona verò antemeridiana emergi, qvod octavæ competit, diemqve ab ortu ad occaſum in octo horas extendit. Si igitur voces Eykt & Non idem ſunt, qvartamqve horam ſignificant, Dagmal certe non ad nonam, ſed octavam exaltandum erit, & per conſeqvens Vinlandia gradui 49 ſubjacet, breviſſimumqve diem octo horis dimetitur, qvod certe cœlum iis, qvæ ibi proveniunt, magis qvàm Eſtolandiæ convenit. Legimus apud Romanos Nonam non ſemper eandem recepiſſe ſignificationem: interdum enim meridiem, ut apparet ex antiqvis Maneriorum membranis, ſignificabat, at Nona horo-

logiorum fupremam antiqviffimis temporibus, de fole jam occidente denotabat (vid. Hofm. lexic. in voce Nona); pari modo etiam apud nos diverfas à tertia pomeridiana horas fignificare potuit. De voce Dagmal fuffragatur Gudmundus Andreas in fuo lexico, per qvam non ex recepto ufu horam nonam, fed octavam antemeridianam intelligit, qvod apprimè cum defcenfu folis ad qvartam pomeridianam convenit; nec dubito, qvin aliqvam authoritatem fecutus hæc fcripferit; unde verò habuerit, mihi nondum liqvet: qvicqvid fit, laudati codicis explicatio invictam authoritatem fibi vendicat, qvæ vocem Eykt per qvartam horam interpretatur, five illa cum voce Non five minus coincidat. Ego, ut dixi fingula ingeniofi lectoris judicio examinanda committo, atq; inprimis perpendendum, an ab hora tertia, id eft Non, præces ad horam qvartam publicæ celebratæ, inde à qvarta, eykt, feriæ cæptæ fuerint, qvô pofitô, fingula fubfiftunt; terramqve, qvæ hodie Terre Neuve, five Nova Terra, aut adjacens ei continens in ambitu Canadæ ad imperium Gallorum redacta eft, veterem Vinlandiam agnofcimus; fi verò fitus locorum, qvi hic defcribitur, accuratius cum habitu terrarum illarum conferatur, ab iis, qvi eas vel incolunt, vel ex profeffo luftrant, non dubito, qvin omnia planius inttelligantur.

Pag.

Pag. 8.

Lin. antè penult. poſt vocem replevit adde: Erant ibi agri tritici ſponte feraces, arboresqve qvas Mauſur appellant, ex ſingulis qvædam domum, deferenda ſecum deſumſerunt, lignaqve aliqvot tantæ molis, ut ſtruendo ædificio ſufficerent.

Pag. 46

Poſt lin. primam hæc legantur. Similis hiſtoria apud Dithmarum Epiſcopum Mersburgenſem chronicorum libro ſeptimo exſtat.

Pag. 69.

Lin. 6. hæc adde. Poſtqvam hæc ſcripſi, communicata mecum eſt Heimskringla ſeu Hiſtoria Regum Septentr: interprete Joh. Peringskiold, Stockholmiæ 1697. impreſſa, reperioqve à Cap. 103. ad Cap. 115. qvæ in neutro exemplari autentico Kringla aut Jöfraskinna, ædis SStæ. Trinitatis reperiuntur, ſive ex exemplaribus Hiſtoriæ Olafi Triggvini ſive aliunde deſumpta.

INDEX
Rerum memorabilium,

A.

D. Dag-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

S.

T.

V. Vin-

EMENDANDA.

Pag. 13. lin. 7. lege effuse. Pag. 16. lin. 17. lege cum. P. 19. à l. 18. ad 24. expungantur qvæ parenthesi inclusa sunt. P. 20. l. 19. pro sæpe lege sepe. P. 22. l. 3. lege: qvoqve inusitatus ingrato illorum &c. ibid. l. 10. lege commilitonis. l. 11. lege exanimavit. P. 25. l. 15. lege capacioris. P. 28. l. 14. & 15. lege Waßholderbaum. P. 31. l. 21. lege Eyrbiggia. P. 34. l. 10 lege qvo. P. 38. l. 4. lege vitreis. ibid. l. 22. lege villosas. P. 41. l. 9. lege qvæsita. ibid. l. 21. & 22. lege omni. P. 43. l. 6. expungatur ultima liniæ syllaba. ibid. l. 13. & 14. lege: Sigridis, concomitante uxore Thorsteini Eiricii. Pag. 45. l. 16. cantionibus. P. 46. l. 9. lege lustralem. P. 49. l. 15. lege Thorvaldus. P. 50. l. 11. lege latæ ibid. l. 19. post vocem Marklandiæ punctum adde. P. 51. l. 23. lege anatum. P. 53. l. 11. lege diffidiis. P. 56. l. 8. vox pannus commate notetur. P. 57. l. 24. lege accu-

accurrentes. P. 62. l. 15. lege Skrælingorum. lin. 20. lege lingvam. P. 63. l. 18. lege forte. l. 19. lege: ullo ſtatus reſpectu. P. 65. l. 21. lege Thordis. P. 68. l. 18. & 19. lege promontorium. ibid. l. 11. lege inde. P. 69. l. 11. pro tridui lege ſex dierum. ib. l. 15. leg: pronepotem. ibid. l. 12. poſt vocem diſterminetur adde propeqve Vinlandiam eam conſtituunt. P. 72. l. 1. lege unâ voce Flatneſi. l. 6. poſt vocem filium adde cum ſociis. P. 77. l. 22. lege, pretioſis.



